APPENDIX

AD ORATIONES

PII II. PONT. MAX.

OPUSCULA QUAEDAM

AENEAE SILVII

NUNC PRIMUM EDITA CONTINENS.

OPERIS

PARS III.

LUCAE MDCCLIX.

EX TYPOGRAPHIA PHILIPPI MARIAE BENEDINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

IN OPUSCULA

AENEAE SILVII

Praefatio.

U Ber ingenio, eruditione dives, foecundus eloquio AEneas Silvius siquid, exilis licet, sterilisque argumenti dictaret aut scriberet, historiam dictabat, aut librum. Hinc nata crebra illa opuscula, & justae molis libri, qui subinde in eruditorum manus incidentes prodierunt in lucem, & nondum cessant prodire. Nec eas tantummodo lucubrationes quas in pluteis insignium bibliothecarum reconditas fama publica ferebat communicatas jam publico habemus; sed & quaedam interdum producuntur nova, quarum ne vel nomen quidem ante innotuerat. Gothicam historiam a Cl. P. Raymundo Duellio Canonico Regulari an. 1730. *vulgatam typis Francofordiensibus & Lipsiensibus prius natam vidimus, quam conceptam audiverimus, ut merito Cl. Editor in titulo operis adjecerit:* Hucusque inedita, & inter ejus scripta nunquam commemorata. *Nec minus nota eruditis accidit oratio, vel melius dixeris historia de obitu Eugenii IV. & coronatione Nicolai V. Pontificis, quanquam ejus subobscure meminit idem AEneas in oratione ad Callistum, ut ego in meis ad illam notis admonui. Idem forte esto judicium* de Pentalogo de rebus Ecclesiae & Imperii, *qui in anecdotis P. Bernardi Pez Tom. IV. anno* 1723. *lucem publicam aspexit, de quo nihil sive*

MMSSrum librorum catalogi sive rei literariae scriptores annunciarunt. Haec praemonuisse lectores meos juvit nequid mirentur, si de unica hac Germaniae Dieta scriptum ab AEnea integrum librum intellexint; quod nisi pro consueto more id a suo authore praestitum me indicante cognovissent, vix potuissent in animum inducere, tantum scilicet scriptionis in unica Germaniae Dieta referenda impendi potuisse. Habebat tamen alioqui Ratisponensis Diaeta nonnulla, quae diligentem historicum detinerent diutius, poscerentque ut longius, quam ut in rebus ejusmodi referendis solent historici, excurreretur. Multa erant & ardua Germanorum principum negocia absolvenda, tollenda dissidia, pacandum imperium, expediendae res ad bellum Turcicum. Siquis scriptor persequi haec omnia voluerit, dicta ultro citroque narrare omnia, illi profecto brevior, vel saltem haud justo prolixior historia haec, scriptoris alioqui concisi, nec ab argumento divagantis, videbitur. Nihil erit pariter cur stupeant lectores, si subito novum opusculum AEneae Silvii, ne vel nomine antea cognitum, prodire in dias luminis aures viderint. Id enim AEneae opusculis ex usu accidere jam indicavi. Fruantur igitur munere hoc insperato, Felini codicibus suppeditantibus, ex quibus etiam adjeci lucubrationem alteram AEneae de donatione Constantini, cujus fragmentum in quarto Conciliorum meorum volumine dedi. Hic integrum promo; vel saltem id totum, quod in Feliniano codice exhibetur: versor enim ambiguus num integrum ibi pariter referatur. Norant hujus titulum eruditi, cum a VVartono in addit. ad Cavenm inter opera Aeneae recenseatur.

IN-

INDICULUS

EORUM

Quae in hoc III. Volumine co tinentur.

* * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * *

PII II. P. M.

Ratisponensis Dieta quae fuit Anno Domini 1454.

DOctissimo ac Reverendissimo Patri, Domino Joanni Varadiensium praesuli Regnique inclyti Hungariae Cancellario, AEneas Episcopus Senensis & Imperialis Consiliarius S. P. D.

Ratisponense Concilium, quod imperante Friederico III. superioribus diebus celebratum est, si tibi quod initium, quemque progressum habuerit, ad verum denarravero, non tuo tantum, ut arbitror, sed omnium desiderio morem geram, qui posthac mea scripta perlegerint. Grandia enim illic negotia, & quae totam christianitatem spectant, inter manus recepta sunt, parientque proculdubio maximum & uberrimum fructum: si coeptis aspiraverit divinus favor. Quamvis me futura praemeditantem Christiani populi vel nequitia terret, vel socordia frangit. Tibi, si melior animus spem bonam praestat, ne me celes oro. Sed dices fortasse: tertio ab hinc mense conventus Ratisponae cessat. Quae ibi gesta sunt jam pistores, piscatores, cetarii, cupedinariique omnes decantant. Quid tu nunc afferas novi? Audio; nec moveor: Scio vulgata esse decreta Concilii. Pleraque tamen invenies inter scripta, quae nondum ex aliis accepisti. Curavi namque, cum essem in scribendo tardior, opere ut supplerem, quod tempore defuisset. Legito ergo, si vacat, hanc epistolam, ne dicam historiam, & cum praecurreris universam, si nihil auditu dignum scribimus, amici supervacuam sedulitatem contemnito? Sin qua tuas aures oblectamus, scito nihil esse nobis jucundius, quam tuae satisfecisse voluntati. Sed jam rem ipsam aggrediamur. Cum accepisset aetate superiori ma-

majestas Imperatoria Constantinopolim a Turcis expugnatam, nobilitatemque urbis cum principe caesam, nostramque fidem miris modis illic probro habitam; revolvens animo quantum esset christianae religioni vulnus inflictum, quantumque deinceps fideli populo discrimen impenderet; mox Nicolao V. primae sedis antistiti literas dedit, quibus & cladem Constantinopolitanam deflevit; & operam suam ad propulsandas ac vindicandas istiusmodi injurias obtulit. Nicolaus autem, qui suapte ingenio ex pastorali officio rem corde gerebat, summoque studio his rebus intentus erat, quibus & orthodoxa fides defendi, & Turcorum impetus retundi posset; jam cum fratribus suis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Clero decimam partem sui census, ut conferret ad rem bellicam indixerat; plenariam peccatorum remissionem iis qui militarent contra Turcos repromiserat; Apostolicae camerae universos redditus ac decimam partem vectigalium Ecclesiae Romanae ad expeditionem nauticam deputaverat. Is cognita mente Caesaris, qui de communi Christianorum periculo anxius esset, Joannem Episcopum Papiensem, nobili loco apud Insubres natum, & comi ingenio facundiaque praestantem in Austriam ire jussit: qui & imperatoris animum ad vindicandum commune Christianorum vulnus magis ac magis incenderet, & Apostolicae Sedis consilia provisionesque demonstraret. Eo audito, ex re esse visum est Caesari principes atque communitates Imperii in unum aliquem locum evocare, cumque iis de tanto negotio transigere. Instabant eo tempore natalia Salvatoris Domini, quibus de more peractis, Theotonicorum conventus ad festum Sancti Georgii, quod Christiani VIII. Kal. Maji celebrare consueverunt, apud Ratisponam indicitur. Haec urbs in Norico, cui nunc Bajoaria vocabulum est, supra Danubium jacet. Ampla atque insignis: ambitiosis aedibus palatiisque referta. Templa hic divino nomini dicata compluria & magnifica sunt. Pontem habet ex lapide secto & quadrato tota Germania celeberrimum, qui ripam utramque conjungit, atque in Franconiam Bohemiamque praebet iter. Murus altus spissusque cingit urbem,

bem, & fossa latior atque profundior. Turres admodum multae, & propugnacula pro moenibus eminent. Hic saepe Romanorum Caesares consedere, atque habere concilia consueverunt. Hic quoque Conradus II. conventum tenuit, cum recepta domini Salvatoris cruce exercitum adversus infideles eduxit. Huc ergo ex Alamania vocati sunt omnes, quorum vel auxilia vel consilia in hoc opus necessaria putabantur. Ex Italia quoque non pauci accersiti. At cum dies affuit, Italorum nemo comparuit, nisi Papiensis Episcopus, qui Romani Pontificis locum tenuit. Veneti jam finito concilio legatos misere. Florentini ac Lucani, etsi scripserant gesturos se Caesari morem; postea tamen gravioribus occupati negotiis implere promissa non potuerunt. Borsius Dux Mutinae bellorum praetendit incommoda. Senenses cum mandatum tardius accepissent, jure merito excusati sunt. Genuenses, Mediolanenses atque cum his Marchiones Montisferrati & Salutiarum nec excusatione sibi opus esse crediderunt. Lodovicus Marchio Mantuanus, errante Cancellario, sub nomine Caroli vocatus est: itaque literae ad fratrem ejus missae nulli usui fuerunt. Ex regibus rogati sunt oratores mittere, qui viciniores videbantur: Carolus Franciae, Ladislaus Hungariae ac Bohemiae, Henricus Angliae, Casimirus Poloniae, Jacobus Scociae, & Joannes Daciae. Neque in hac vocatione usus est imperio Fredericus: neque arroganter quicquam scripsit; sed reges quasi amicos, quasi fratres hortatus est, in communi Christianae religionis negotio, ut secum concurrere, ac dicere, & audire consilia vellent. Nemo tamen, si Casimirum excipias, imperiali voto morem gessit, sive odio Caesarei nominis, quod omnes videri exempti volunt; sive quia religionis extinctus est ubique zelus. Rex Franciae, ut ajunt, suscepta sacra imperiali, cum neque suam operam christianitati negare auderet, neque Caesari tamen tribuere vellet, ut suo rogatu motus existimari posset; ad Romanum pontificem literas scripsit, quibus se bello minime defuturum affirmavit; si Germani principes contra Turcos arma susciperent. Aliorum in tanto negotio tanta vel taciturni-

tas, vel negligentia, non admiranda dumtaxat; sed cunctorum hominum votis damnanda exsecrandaque fuit. Maxime vero Ladislai regis notata est legatorum absentia; qui & propter regnum Bohemiae; quod est Imperii sacri nobile & praecipuum membrum; parere Caesari tenebatur, & propter Hungariam negligere eum conventum haud quaquam debuit: in quo suorum subditorum salus ac tranquillitas quaerebatur. Neque enim inter Christianos populi sunt, quorum magis quam Hungarorum referat exterminari Turchorum gentem quam vicinam habent multis jam saeculis infestam. Quod si Turchi contra Theutones progredi velint, necesse est Hungaros, eorumve subditos prius atterant, quales sunt & Dalmatae & Croatini. Sed nihil impingendum est nobilissimo adolescenti, qui quamvis est in omne bonum pronus & ardens, pro sua tamen aetate magis regitur, quam regit. Rectoribus eam curam esse par fuit, ne conventum spernerent, in quo tanti regis negotium in primis erat agendum. Accusarem hic vehementer praelatorum, ac baronum Hungariae sive pervicaciam, sive somnolentiam, qui tale concilium nec unico nuntio dignati sunt adire; nisi remorsus timerem tuos, qui pro tua singulari providentia remittere sagittas in hostes optime calles. Caeterum quidnam alios arguimus, nisi & aliorum similem contumaciam vidissem? nam quid faciant externi, quando neque ipsi Theutoniae principes, neque civitates, ut necessarium erat, tam utile concilium adiverint? Senserat hoc imperator, atque idcirco Romanum praesulem rogatum fecerat, ut & ipse suis scriptis, tum episcopos, tum duces, marchiones, comites Germanicae nationis ad conventum Ratisponensem invitaret; quia vocante Papa, & Imperatore ad concilium, concursus proculdubio major fieret. Ea res Apostolicae Sedi non placuit; quia fortasse latere dolos sub ea vocatione Nicolaus timuit; nihil est enim in alto sedenti tutum. Magni conventus magnos motus pariunt; inimica est novitatum summa potestas; spes mutationis enutrit miseros.

Imperator, cum conventus dies appropinquasset, con-

convocatis Senatoribus, quinam mittendi sint Ratisponam vices acturi suas quaerit. Res secreto atque inter paucos agitur. Prior, qui summam dicere jussus est, AEneas Episcopus Senensis. Ego, inquit, Caesar, nequaquam is fuerim, qui te mittere legatos suaserim ad eum conventum, qui tuam praesentiam exigit. Nisi enim tu iveris, neque principes electores, atque caeteri proceres eo venient, neque oratores mitterent ad tantam rem idoneos. Ridiculum concilium erit: nihil illic geretur laude dignum. Si tu absis, omnes tuam negligentiam incusabunt, quia tantum negotium, quantum est christianitatis defensio, parvipenderis. Quod si verum admittis, necesse est fateare, nullam te causam concilio posse reddere, si haec non reddit, ex qua pendet nostrae fidei salus. Illud quoque tua venia dixerim, nisi hoc iter assumis, neque honori tuo, neque utilitati consules. Impugnatio namque Turcorum tibi multis ex causis debetur; non modo quod imperator es Romanorum & advocatus ac protector Ecclesiae; verum etiam quia proximus consanguineus exiltis Ladislao Regi Hungariae; cujus regnum in faucibus Turchorum situm, auxilia Christianorum implorat; cui non opem ferre impium, & crudele fuerit: nec tui fines sine periculo sunt, si Marchiam Sclavonicam Carniolamque respicis, haud procul a Turcis regiones Tibi praeterea aetas florida est, corpus incolume, robustum, ac bello aptissimum. Nunc omnium in te oculi sunt directi, tibique ante omnes hanc belli gerundi provinciam credunt. Nisi conventum adis, teque reipub defendendae cupidum ostendis, neglector ac desertor imperii vocitabere: nec tuus ager in tuto erit: Non tamen Ecclesiam suam deseret Deus Suscitabit alium de quacunque gente, de quocunque genere sui populi salvatorem, qui se pro communi salute devoveat, & gloriam, quae tibi debetur, accipiat. Imperium, ut est apud Salustium, ad optimum quemque a minus bono transfertur. Quod si tua serenitas in concilio fuerit, seque publici commodi procuratricem monstraverit, recuperabis pristinam famam, nomenque tuum, quod nunc pene sepultum videtur, rur-

rursus emerget. Et si quod futurum speramus, tuo ductu Graecia vendicetur, deleanturque Turci, nulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet. Etenim quantumvis est lugubris hoc tempore fortuna Graecorum, ac dolenda nimis Constantinopolitana clades; tibi tamen si gloriae cupidus es, fuit optanda haec ruina, quae te possit in altum vehere. Sigismundo quidem atque Alberto Caesaribus, qui te novissimi praecesserunt, optatissime haec obvenisset occasio, qua totam commovere christianitatem potuissent, seque fama clarissimos reddere. Sed data est tibi a Deo nostro haec facultas, tibi hoc decus reservatum est, ut defensor, conservatorque christiani nominis appellere, si modo eniti audereque velis. Adde, quod te religiosum, & christianissimum Principem vulgo dicunt, nec tibi majorem esse curam, quam ut Deo placeas, atque animam lucrifacias. Et quid est, obsecro, in quo vel Deo magis placere, vel animae tuae melius consulere possis, quam operam dare, ne christiana religio pessundetur? Quis est qui dubitet, omnibus, qui fidem orthodoxam adjuverint, defenderint, auxerint, certum esse in Coelo diffinitum locum, in quo beati aevo sempiterno fruantur? Praeterea emolumenta pecuniaria, quae secum hoc bellum afferre potest, si te populus armatus ducem habuerit, quantum in te praeclarum derivabitur. Quot ad te spolia deferentur opulentissimorum principum, ditissimarumque civitatum? Neque te sumptus vereri oportet, quasi tuo argento sit militandum; ex decima cleri, ex contributione populi stipendia tibi, & militi distribues, facileque plus accipies, quam eroges. Sed quid ego nunc ista commemoro? Praematura est haec belli gerendi disputatio. Ratisponae hoc erit agendum. Inpraesentiarum an eo tibi sit eundum quaerimus. Ego si tuum locum teneam, ibo, ac principibus me ostendam; suadebo ex re christiana quae necessaria putem. Deinde addam: audio vos principes, ac civitates aegro animo esse, quia non saepe ad vos venio, quia non amputo lites, non aufero bella, non punio nocentes, non parere omnes justitiae compello. Neque animadvertitis exhaustum imperium,

fa-

facultates habere, quibus haec perficiat. Si semel huc venio, facile plus assumo, quam ex Imperio decennio queam corradere. Si vobis dico non est qui exequatur, si scribo, si mando; tantum paretis, quantum libet. Cur verba me vestra lacerant? An ego patrimonium meum dilapidabo, vestrum vobis ut salvum fiat, non faciam? Satis est si curam, si studium, si laborem, si operam, si personam meam vobis offero & dedo Si datis unde inter vos vivere, & jus suum unicuique tribuere, & quae regis atque imperatoris sunt agere possim, neque vobis, neque reipub. deero: At si paupertas imperii vobis cordi est: parcite saltem maledicere, nec vestram culpam in me transferatis. Si dum singuli vultis imperare, omnes imperium & libertatem amittitis. Persuadeo mihi, Caesar, si te ita loquentem principes audiant, tibi atque imperio bene futurum. Intelligent, quantum sit dedecus, cum caeterarum nationum reges mirifice abundent, egere suum. Taedet insuper omnes quotidianarum assiduarumque litium, quas iccirco durare non ignorant, quia neque obedientiam habes, neque militem, quo illam exigas: militem vero sciunt absque pecunia, quam nervum esse reipub. vel praecipuum constat, conduci atque ali non posse. Quod si pacem & justitiam inter se jungere Alemanni voluerint, tibi atque imperio uti provideant necessum erit. Idque jam tibi pollicitus est curaturum se fore Jacobus Treverensis Ecclesiae pontifex, inter electores tuos oculatissimus & solertissimus princeps, quemadmodum ex Joanne Lysura, viro acuto & prudenti, annus ab hinc dilapsus est, audisti.

Duo igitur haec negotia in conventu Ratisponensi absolves; exercitum contra Turcum institues; & imperium ad pristinum splendorem rediges; quorum si alterum fiat, honorem, nomenque vel maximum assequeris; si neutrum, offitio tuo satisfeceris; neque illaudatum te populi praeteribunt, honesta ac magnifica negotia prosequentem. Sed ais fortasse tacitus; quo pacto concilium adibo, si non est aurum? Nescio, Caesar, quantum habes in arca, neque tuae crumenae sum judex; illud in tanto negotio palam dico, si non est in promptu

ar-

argentum, corradendum est undecunque: possessiones vendi aliquas malo, quam res tantas negligi. Neque grandi pecunia opus est: quoniam nec multam familiam adducere oportebit. Ducenti equites comitatum honestum dabunt. Sigismundus Archiepiscopus Juvamensis (a), Ludovicusque Bavariae dux inter eundum sese tibi comites adjungent: Auri viginti milia nummum hoc iter tibi explicabunt.

(a) Salzburgensis

Quod si rursus obiicias: armatas in vicinia copias esse, quas dicunt Comitem Ciliae nutrire; Gubernatorem Hungariae paratum exercitum habere; utrumque tibi infensum parare insidias: verendum esse ne dum bona communia curas, amittas propria. Respondebo: oppida tua non ea videri, quae primo insultu expugnari queant, dimittendos esse probatos viros, qui, te absente, patriam tueantur. Neque male dictum putarim; si agrum tuum futurum in absentia tua quam in praesentia tutiorem affirmarim. Quis enim tuam invadere terram praesumpserit, dum tu reipublicae operam praebeas? Quo ausu tuos subditos infestent Hungari: dum tu quaeris ne ipsi amplius infestentur a Turcis? Amabunt te, mea quidem sententia, omnes christianae fidei consulentem, aut certe verebuntur; cum tuos tibi participes adjunctos viderint, auxilia certissima praestituros, si te quispiam conturbare praesumpserit. Te vero solum domi manentem, non video cur timeant, armis ac populo longe imparem. Cum Francfordiae, cum Norimbergae, cum Romae fuisti, multo melius defensa est terra tua, quam cum domi mansisti? nec mirum; nam dum te Austria, sive Styria tenet, ea existimatio de te est, quae de Duce, vel Austriae, vel Styriae haberi potest. Cum vero apud Electores moram trahis, omnes te velut Caesarem recognoscunt, & venerantur. His ex causis, quantum ingenioli mei parvitas capit, consulo, ne tuas nuptias per procuratorem agites; sed omissa legatorum mentione cum omni tua Curia ad concilium te conferas: quod si parum est ex re tua quod dico, vel tua sapientia, Caesar, vel horum senatorum singularis prudentia de meo consilio judicabit.

His

His ab AEnea dictis, atque in Theutonicum sermonem expositis; rogati sunt alii ex ordine sententiam promere; sed omnium unus animus, unum consilium fuit, nihil esse de conventu Ratisponensi benè sperandum, nisi Caesar interesset; nec procuratores mittendos quisquam suasit. Quibus auditis Caesar aliquandiu subtacuit; deinde vultu parum sereno in haec verba prorumpit. Conventum me petere singuli suadetis, in aliena re facile liberales. Quod si vestra haec provincia fuerit, aliter judicabitis. Giles & anchenreuter castra nobis vicina tenent; nec scimus quo animo erga nos sunt; raptores autem esse & alieni cupidos non ignoramus Joannes Hungariae gubernator adversus eos exercitum ducit, nobis infestus qui est: quis novit, si minas illis, nobis verbera parat? Ulricus Ciliae comes quantum nos amet, nostis; nihil ei antiquius fuerit, quam nos perire. Austriales in nostrum exitium dies noctesque nituntur; & vobis ex usu videtur Ratisponam me proficisci? Pastorem me bonum esse vultis, oves in medio luporum qui relinquens fugiam. At mihi non est leve patrimonium perdere. Novi ego mores hostium, atque insidias: nihil illi aliud modo expectant, nisi me domum exire, vacuam ut in possessionem sese recipiant. Ego certe libens in concilio fuerim, quoniam nihil mihi cordi magis est quam communi utilitati consulere. Durum tamen est cum periculo proprio curare communia. Fateor quia reis subvenire singulis debemus; sed nullum ego video qui alienae magis, quam suae commoditati studeat. Quid vos mihi meos electores commemoratis? Non me fugit, quantum iis in commune bonum est studium. Ibo ego Ratisponam, illi domi manebunt, aut si venerint ad concilium privato aliquo emolumento trahentur. Cogitate potius quo pacto sine nobis conventus agatur, quique nostras vices illic agere possint. Ad haec Ungenodius. Si cujuspiam interest, inquit, te salvum resque tuas florentes esse, Caesar optime; nos ipsi sumus, quibus tua consilia credis. Nam quae tibi noxia, ea nobis mortifera sunt. Sine te neque honorem neque utilitatem consequi possumus; tecum stamus, tecumque perimus. Quod

modo suasum est a nobis, in rem tuam esse credimus. Veriti ne qui te oderunt, aut fortunae tuae invident, nocendi, si concilio desis, occasionem accipiant. Nec propterea tuam haereditatem sine custode relinquendam censemus. Sunt tibi nobiles & fidelissimi proceres, quibus absfuturus patriam committas. Nec tu extra orbem iveris, ut auditis, si quae fiant, adversum te novitatibus, non queas è vestigio reverti, tanto terribilior hosti, quanto cum damno christianitatis majori ad tua defendenda fueris revocatus. At si omnino te timor agitat, Gubernatorisque horres exercitum, quin das operam ut ejus animum persentiscas? Prope est, mittito ad eum; dicito te concilium Ratisponae (*a*) magnum convocasse ibi ut de republica christianorum tutanda capias: quae res inter omnes fideles Hungaris potissime conducit, qui sunt Turcorum genti finitimi. Quod nisi tu Ratisponam pergas, parum esse quod ibi, te absente, concludi possit: velle te scire quo animo ipse in te sit; iturum te, si pacem Hungari teneant; si minus, domi mansurum, expositurumque Romano Pontifici & universis regibus christianis, quia, impedientibus Hungaris, negotia orthodoxae religionis nequeas, ut menti sedet, prosequi. Caesari ac Senatui cum haec sententia placuisset, Artongius Cappel, utroque jure consultus, cum hisce mandatis ad gubernatorem mittitur, cum quo sibi vetus noticia fuit. Per idem tempus oraverat Gubernator Caesarem, sibi adversus latrones ut auxilio esset, bombardas atque alias belli machinas concederet; ad ea jussus est Artongus dicere latrones altas radices habere; Comitem Ciliae stipendia his praebere; si juvandus sit contra eos Gubernator, necessarium esse, si bellum inde majus emergat, foedus Caesari cum Gubernatore; quo modo se ambo comunibus viribus tueantur. Videri ex re utriusque colloquium esse invicem, quando itinere unius diei dumtaxat disjuncti essent. Gubernatoris, audito Artongo, hoc responsum fuit. Auxilia contra latrones invaloresque regni nostri, qui nec Caesari parcunt ab eo petivi: Existimavi, & si majora peterem, nihil negatum iri, quando & majestati Caesareae multis in re-

(*a*) Adde consilium.

bus

bus usui fui, nec facultas abest, si velim, aut juvandi, aut nocendi: negata sunt quae postulavi; expugnabo tamen vel sine adjutorio suo latronum nidos. Caesar posthac videbit an rei suae bene consuluerit. Contra Turcos autem, si Christiani reges exercitum armaverint, non deerunt Hungari. Nec ego vel meae substantiae vel vitae parcam, si modo pugnam christianitati utilem videro. At si relictui sumus Christiano populo, non est consilium nostrum ut soli feramus Turcorum impetum, quibus impares sumus. Turci ex nobis sine detrimento nostro transitum petunt, dabimus, si ut palam videmus, christianitas dormit: Maumethus, qui Turcis imperat, apud Andrinopolim curam habet. In Sophia duces belli copias apparant. Tartari cum his foedus iniere; quies hoc anno erit; exinde totis sese conatibus in christianos agitabunt. Haec Caesari meo nomine dices, cujus officium est hisce malis obviam ire. Ea cum renunciasset Artongus, nemo ultra fuit iter qui Caesari ad concilium suaderet, quando & latronum armatae copiae vicinae essent, & Gubernatoris animus irritatus, ejusque responsum minarum videretur plenum. Libuit igitur deligere viros, qui nomine Caesaris in concilio praesiderent. Ex absentibus nominati sunt Nicolaus Sancti Petri ad vincula Cardinalis, Jacobus Archiepiscopus Treverensis, Gothfridus Herbipolensis, Fredericus Ratisponensis Episcopus, Fredericus Saxoniae princeps elector, Albertus Austriae, Ludovicus Bajoariae duces, Albertus Brandemburgensis & Carolus Badensis Marchiones. Ex curia vero, qui praesentes erant, missi sunt AEneas Senensis & Ulricus Gurcensis ecclesiarum Pontifices, Georgius Folchstorfuis & Joannes Ungnodius Austriae ac Styriae barones. Legati ex Curia Caesaris ad XVI. Kal. Majas: tres per alpes ad Sigismundum Juvaviensem Archiepiscopum, qui modo Saltzburgensis appellatur, recta via se contulerunt. Ratisponam Georgius per Austriam petiit. AEneae hoc iter incommodissimum fuit, qui cum laborare inter eundum podagra coepisset, neque curru vehi posset in alpibus, neque legationem vellet negligere, inter ceteras molestias pede, qui patiebatur, ad

sellam suspenso unius diei viam fecit. Ulricus, & Joannes ubi Juvaviae sunt magnum praesulem adeunt; utque conventum adeat Reipublicae consulturus pluribus verbis orant. Is ait accinctum se fuisse, ut Caesarem sequeretur, si ejus majestatem ituram accepisset. Nunc se minime hoc itineris subiturum, quando Caesarem abfuturum intelligit. Missurum tamen legatos viros egregios, qui suas vices impleant; complexurumque pro communi utilitate christianorum quaecumque concludi Ratisponae contingeret. Multa insuper de Caesare questus est, qui neque regalia sibi concederet, neque se principem scriberet. Contra legati pleraque domus Austriae castella jure pignoris possidere eum dicebant. Quae si restituerentur, controversiam omnem adimerent; neque id injuria peti, cum oppidorum annui redditus principalem jam summam dissolvisset. Missa Juvavia, legati Burckhausam se contulerunt. AEneas aqua vectus per fluvium, quem Salzam accolae vocant; alii terra iter habuere; hic Ludovicum Baioariae magnum ducem conveniunt, ac redditis Caesaris literis dicunt quibus de causis concilium Ratisponae sit vocatum. Unum ipsum inter praesidentes dictum, de quo tanquam consanguineo, & imperii principe, summam fidem Caesar gerat, orat ne gravetur in tanta populi christiani necessitate Ratisponam, quae prope est, vicinaque suis agris petere, atque consulere Reipublicae. Id si faciat non daturum oblivioni haec Caesarem asserunt. Ad haec Ludovicus accepisse se paucis ante diebus literas Imperatoris ait: quibus tanquam princeps imperii Ratisponam in communi causa christianitatis vocatus esset; dignum videri sibi tam se quàm veteres principes, imperatori tanto, & tam necessario in negotio morem gerere; nec defuturum se christianae religioni, quam sui progenitores summo conatu defendere, ac propagare studuissent. Illud autem grave esse, quod sibi juveni inexperto, & ad magnas res nequaquam idoneo legationis onus Caesar imponeret. Agere tamen se gratias imperatori, quod tantam de sua aetate vel fiduciam, vel aestimationem habuisset: meditaturum se paulò, an sibi haec legatio susci-

suscipienda sit; missurumque prope diem suos consiliarios Ratisponam, qui mentem suam referant. Inter haec latrare innumeri canes ante Regiam, voces extollere pedites, equitesque indigne moram ferre, accusare Principem, qui tempus idoneum amitteret, maledicere legatis, qui venationem optimam deturbarent. Cum Ludovicus invitatis legatis, ut secum irent; cum illi recusassent, quas in hospitiis pecunias consumpsissent, iis reddi jussit; laetusque magna juvenum comitante caterva venatum exiit.

Admonet hic me locus pauca de tanto duce scribere. Quando is unus est ex tribus, qui Ratisponae visi sunt principibus saecularibus ad fidem protegendam, & animati, & ferventes. Ludovicus Bajoariae Dux Henrici filius matrem habuit e domo Austriae, Alberti Caesaris sororem, Ladislai regis Hungariae ac Bohemiae amitam. Vivo patre, sub custodia educatus est dura; neque scortari, neque convivari potuit, exiguè sumptum habuit: ad virtutem assiduis commotionibus excitatus, haud vanum patris laborem reddidit. Nam regni gubernaculis postquam potitus est, quamvis paternam illam frugalitatem, quam vulgò tenacitatem dixere, non est imitatus; principem tamen egregium egit, & quae sunt regiae laudes, fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, beneficumque se praebuit. Provinciam expurgavit facinorosis hominibus; Judaeos exire fines jussit; vicinis pacem dedit; subditis jus dixit; uxorem de Saxonia Friderici Caesaris neptem duxit. Cum lites in Caesarem Austriales non aequas movissent, arbitrum se concordiae dedit. Regi Ladislao, quantum potuit, opitulatus est. Franconica, & Svevica bella pro virili sua sedavit. Albertum patruum, cum quo pater saepe contendit, inter primos sibi conciliavit. Annos jam, ut ajunt, natus est duo de triginta; statura ei procera est, robustum corpus, laeta facies, sermo jucundus, gestus principe dignus. Si literas norit Latinas, nihil est amplius, quod in maximo principe desideres. Ejus mansio plerumque in Burckhausia est. Id oppidum supra Salzam jacet; novum est, & munitissimum, arcemque habet amplis-

plis-

plissimam, totaque Theutonia memorabilem, natura loci, & murorum structura pene inexpugnabilem; cujus majorem turrim auri & argenti plenam magno thesauro praedicant. Hoc loco dimisso Duce, Legati Ratisponam veniunt, ubi & urbis Episcopum, & Georgium alteros Collegas offendunt. Joannes quoque Papiensis Episcopus, cujus supra meminimus, Apostolicae Sedis Orator nonnullos ante dies eo pervenerat. Ex aliis, quorum tanta res praesentiam exposcebat, nemo adhuc comparuerat. Causa tarditatis credita est, quia per sacros majoris hebdomadae paschalesque dies, qui tum currebant, haud volentes magni viri domum exeunt; tanquam majus sit opus, & acceptius Deo intra cubiculi parietes orare, quam pro salute populi christiani conventus adire, & consulere Reipublicae. Nicolaus interea Cusanus Cardinalis Sancti Petri, Brixinensis Ecclesiae Pontifex, praestabilis homo sapientiae, doctrinaque ista utiliore, quam Theologiam vocant, elegantiarum quoque veterum cura, & memoria multum praeditus, accepta sacra imperiali, quae se concilii praesidentem dicit, commendatis ovibus, ut potest, suis, Sigismundum Austriae Ducem adit, Ratisponam se iturum aperit. Si quid committere velit in Concilio gerendum, rogat, literasque cum Caesaris, tum summi pontificis, quae sibi mandant hoc iter ostendit. Is se quoque vocatum a Caesare perhibet; sibi tamen ex usu non esse patriam relinquere. Cardinalis uti suum in Concilio locum teneat hortatur. Amplexurum se omnia libenti animo asserit, quae pro communi christianorum profectu conventus in concordia decreverit. Suscipit onus Cardinalis, atque itinere continuato cum Ratisponae proximus esset, literas quasi adhuc domi sedeat, ad collegas mittit, atque an ei veniendum sit, & quis modum praebeat faciendi sumptus exquirit. Dum haec geruntur, incertus rumor exoritur, Philippum Burgundiae potentissimum Ducem, & magnis aequandum regibus, Constantiae visum esse. Res vana, ac somno similis ducitur; tantum principem, tam divitem, tam potentem, qui tot tantisque provinciis praesidet, cui suppetunt quae ca-

cupit omnia, ad quem nihil attinet vereri Turcos, jam plena aetate, ex terra longinqua Ratifponam quaerere. Nugaces omnes creduntur, qui Ducem hunc in Alemania vidiffe profitentur. Sed ecce inter murmurandum vir domi nobilis, & ipfa facie fidem exigens, navigio applicat, qui fe ducis nuncium afferit, miffum ad Caefarem fcifcitatum an locus concilio fit futurus, literafque legatorum petit, quibus Caefari commendetur: Ducem verò a fe Ulmae relictum dicit; fimulque multi in horas veniunt, qui Ducem Ulmae receptum aftruunt. Quibus cognitis, legati quanta audierint mox Caefari fcribunt; utque veniente Duce, & ipfe afcendere velit magnopere fuadent; quod & res fidei chriftianae feliciter conduci poffe, & honorem fuae ferenitati pulcherrimum redundare confidant. Nunc de Duce Burgundiae quoniam fermo incidit, repetenda funt paulo altius aliqua, ex quibus hic fuus adventus originem ducit. Quae fit nobilitas hujus principis, quae altitudo animi, non eft cur me fcribere oporteat; quando nulla eft toto orbe tam barbara, tamque inacceffa natio, Chriftiana inquam, quae fuum nomen cum fingulari laude non decantet. Illud tamen non me dixiffe poenitebit, quivis maximi & opulentiffimi & nobiliffimi principatus huic homini parent; non tamen eum tanti imperii tam fuperba facies, adeo clarum, gloriofum atque admirabilem facit, quam mentis fincerae probitas, & animus ad virtutis egregia facinora promptus. Is aliquot ante annos; cum Chriftianos in oriente commorantes a Turcis modo, modo a Saracenis infinitas ferre contumelias didiciffet; gentemque illam Maumetho credentem inimiciffimam effe nomini Chriftiano, atque in dies tendere infidias, nitique modis omnibus ut orthodoxam fidem perdant; irritatus animo, accenfufque zelo domus Dei ftatuit excitare, atque adhortari rectores noftri orbis, ut arma contra impuratam Maumethi plebem fumerent, Chriftianumque fanguinem vindicarent, quem peffima barbaries in dies fundit. Legatos ergo ad fummum Pontificem mifit, ad Imperatorem, ad plerofque reges, ad Hungaros, ad Bohemos, feque in eam militiam iturum promifit,

sit, adjutores ejus propositi si Christianos reliquos inveniret. Quod si monitis ejus auscultatum fuisset, haud modo Constantinopolitana jactura nos angeret; & fortasse jam Turcorum truculentum genus trans Helespontum fugavissemus. Sed laudarunt omnes ducis animum; nemo manus apposuit. Verum est quod ille ait: Omnes *ignoscunt* (*a*); nemo succurrit. Calent magnifica verba; tenuia frigent opera; cuique pacis consilia magis placent. Remotus adhuc hostis esse videtur. Cum audiret quispiam lectulo resupinatus vociferantem populum, quia flagraret incendio civitas: non assurgam, inquit, nisi spondam calentem sensero. Quid mihi si proximus ardet paries, dum mea domus integra friget? at illum, dum vicinis opem ferre recusat, inopinantem subitus ignis exussit. Idem vereor, ne Latinis accidat, quibus de salute Graecorum nulla solicitudo fuit. Quippe Philippus ubi torpere Christianorum animos, seque frustra niti animadvertit; cum soli sibi tanti belli molem minime subeundam intelligeret; decrevit & ipse quiescere, ac sibi & subditis suis, dum superi permittant vivere: & fortasse in rem suam fuit, non inventos esse, qui contra Turcos cum eo pergerent. Namque si rebellassent Gandavenses, Luziburgensesque novas res moliti essent, Philippo in Graecia, aut Asia militante, quemadmodum postea sequutum est, motus profectò formidabiles excitassent, turbasque Burgundo penè intolerandas dedissent; quos ille domi manens partim bello domuit, partim sapientia, & amicabili lenitate ad obedientiam reduxit. Caeterum postea ruinam Graecorum cum audisset, ac Romani Pontificis literas accepisset, quibus expeditio contra Turcos indicebatur, jam tempus advenisse ratus, quo suo posset desiderio satisfacere; grande convivium apud Insulas in Flandria facit, ostentansque sui regni magnificentiam, nobilitatem utriusque sexus ad mensam vocat. Apponitur coena dubia, ubi tu dubites, quid sumas potissimum; longe quaesitae dapes, vinaque, quibus uti regibus mos est: nemo non auro bibit: ultimae ubi jam mensae locus adest, duae virgines forma egregia, aetate integra, venustis moribus, alta nobilitate

(*a*) f. id nos- cunt.

tate ex interiori cubiculo in coenaculum prodeunt, vivum fasianum afferunt, Ducique dono dant. Tum Philippus in hunc modum fertur loquutus.

Vos mihi, proceres, testes estis, decrevisse me treis ante annos adversus impiam Maumethi sectam bellum gerere, si Christiani me Reges adjuvassent; rogasse complurimos una vellent arma induere, ut quibus esset una fides, unus esset ad eam tutandam animus. Cum nemo mihi aures adhiberet; coactus sum domi manere; nam soli mihi grandius coeptum fuit. Post haec sequuta est Constantinopolis expugnatio. Nobilitas ibi cum Principe suo caesa, plebs in captivitatem ducta; altaria Christi subversa; imagines, atque Reliquiae sanctorum luto provolutae. Sic dum nos silemus, Christiano nomini insultent Turci; qui, si viri essemus, non auderent terga nostra, ne dicam vultus intueri. At ecce modo, quamvis sero, invitat nos Romanus Praesul, hanc uti contumeliam vindicemus, neque ulterius tantam ignominiam religioni nostrae patiamur inferri. Utinam ante vulneratam causam hoc egisset; inferre ultrò vulnus, quam illatum praestabat ulcisci. Sed non est cur praeterita corrigamus. Nunc tempus nostrum est, neque Imperator, ut arbitror, neque Reges caeteri tacebunt; omnes haec injuria tangit. Quis erit jam Christianus, qui non ardenti animo bello sese accingat; quoniam tanta est in Salvatorem nostrum hoc tempore irrogata contumelia? Nunc qui viri simus licebit ostendere. Nunc, si juvatis, proceres, patrem ulciscar meum, quem Turci captum diu vinculis constrinxere. Vos igitur, quibus cor nobile est, & animus generosus, qui religionem colitis, nostramque fidem cupitis esse sublimem, dicite jam nobis palam an coepta nostra sequi velitis. Mihi quae sit mens, quidve propositum hinc audietis. Atque aperta veste, qua pectus claudebatur, schedulam detraxit, Haraldoque dedit legendam. Schedulae fuit hujuscemodi sensus. Ne proterat Ecclesiam Catholicam, neve ultrò Christiano illudat nomini Turcorum genus impuratum; si Carolus Francorum Rex, Dalphinus, vel primogenitus, aliusve clarus ex regno princeps, in Turcos exercitum hac tem-

pestate ductaverit, in comitatu ejus ero: roburque meae militiae, peditesque, equitesque huic expeditioni dicabo, pugnamque manu conferam. Si se obtulerit hostis, singulare certamen non detrectabo. Si minus, provocabo, daboque operam, spolia ut opima feram. Sic tibi Deo viventi, Patrique, Filioque, Flaminique spondeo, & promitto Dux ego Burgundiae Philippus; vosque Matronae nobiles, virginesque illustres, hujusce voti testes adhibeo, ut cum has, aliasve istiusmodi generis aves, quas Phasidos Insula primum vidit in conspectu habebitis, mendacii me insimuletis, nisi steterit dicto fides. Haec ubi alta voce lecta sunt, exultare, ac vociferari omnes, magnificare suum principem, laudare propositum, offerre se comites, dare dexteras, orare superos, ut coepta secundent, pioque Duci longam atque incolumem vitam praebeant. Philippus seorsum quemque ad se vocitat, & quem secum ducturus sit comitatum rogat; jubetque numerum describi: edunt cuncti nobiles sua nomina, ingentesque copias promittunt. Unus dumtaxat consulendi Regis Franciae tempus expetit, cujus esset ditioni subjectus. Laetus tantâ suorum procerum alacritate Philippus, Sacerdotes uti mentem suam exponant populo jubet. Sacrificia & publicas supplicationes decernit, quibus divina gratia valeat impetrari. Sed neque hoc pacto desiderium pii principis locum habet, neque enim Rex Franciae, neque alius ex regno princeps in Turcos pugnare proponit. Huc accedunt regis Angliae vexationes, qui missa non parva classe agros Arthoos populatur, atque incendit; cui nisi resistatur omnis in metu Flandria atque Piccardia ponitur. Optimates Provinciarum Philippum adeunt, Anglicorum conatum exponunt, ne se deserat, rogant. Is ubi suorum periculorum videt; neque Christiana nos magnificare Turcorum fata cognoscit, rursus inter suos morari ac tueri patriam statuit. Quando nec Luzeburgensium civitas satis constans firmaque videretur. Erat enim ei de ducatu Luzeburgensi cum rege Bohemiae vetus & anceps controversia; neque terrae cultores satis exploratum habebant, cui potissimum foret parendum; Regis alio, Ducis,

cis alio caufam probante. At ei dum modo repellere Anglicos, modo rebus confulere Luzeburgenfibus ftudet, literae Caefaris hujufmodi afferuntur.

Fridericus tertius, divina favente clementia Ro. impe. Philippo duci Burgundiae illuftri, falutem.

Memores fumus te oratores tuos ante aliquot annos ad nos mififfe, qui nobis duras & acerbiffimas moleftias, quas Chriftiani per orientem five a Turcis five a Saracenis paterentur, non fine quadam commiferatione referentes, fummopere nos adhortati fuerunt, ut tanquam procuratores & advocati fidei catholicae adverfus inimicos falutiferae crucis expeditionem inftitueremus; reges & principes, quicumque Chriftum colerent, invitantes. Ad quod tam pium & neceffarium opus corpus tuum offerebas & dedicabas. Nos tunc id propofitum commendantes cum Romam propediem petituri effemus, cumque res maxima effet, quam nobis fuadebas, ac fidem fpectaret, refpondimus, ut par fuit, de tanto negotio Romanum Pontificem confulendum; quemadmodum paulo poft Romam venientes in publico confiftorio fecimus. Praeful vero Romanus pro verbis noftris hilarior factus, & verba noftra & rem ipfam mirifice laudavit; & quoniam nos optime animatos videbat, dixit & aliorum quoque regum noftri orbis mentes perfcrutaturum, quemadmodum rei magnitudo videbatur expofcere. At opus ingens, dum fuapte natura tempus ex tempore quaerit, crudelis Turcarum dominus Conftantinopolim orientalis imperii caput, Graeciaeque decus invadit, obfidet, oppugnat, diripit, Imperatorem gentis interficit, nobilitatem majori ex parte gladio ferit, innumeras animas in fervitutem redigit. Templa divino dicata nomini fpurcitiae Mahumethi fubigit, altaria proterit, Salvatoris noftri ac matris ejus intemeratae Virginis imagines delet, Sanctas quafcunque reliquias invenit porcis objectat. Neque contentus his, nactus locum & portum ex quo plurimum Chriftiano populo nocere poteft, ingentes copias terra marique parat, hifque fe totum occidentem invafurum, fubverfurumque Chrifti legem jactitat. Quod quamprimum cogno-

vimus mox domino nostro papae literas dedimus, rogantes ut de modo resistendi tam potentibus inimicis in communi consilium caperet; nam & nos operam nostram in obsequio fidei minime negaremus. Is vero misso legato & intentione sua in tali negotio nobis exposita, vehementer atque impense nos hortatus est, ut adversus Turcorum insolentem & pernitiosissimam audaciam cum nostris principibus insurgamus. Ac veluti primi inter saeculares potestates, quibus de profectu reipublicae Christianae cura & solicitudo incumbit; caeteros christiani orbis rectores nostris exemplis, & hortationibus invitemus. Nos ergo considerantes rem esse dignam, in qua laboremus, nosque praecipue tanquam imperatorem, & advocatum Ecclesiae respicere, universorum principum ecclesiasticorum & saecularium cunctorumque nostrorum & Imperii sacri subditorum in festo Sancti Georgii proxime futuro in civitate nostra Ratisponensi supra Danubium statuimus habere conventum, in quo compárituri, cum his qui aderunt, de propulsandis hostibus tuendaque nostra religione consuleretur, sperantem & Apostolicae sedis legatum, & nonnullorum potentum regum, quibus super hoc scripsimus, oratores affore. Cum igitur res haec ad illum finem tendit super quo nos pridem hortabare, cumque modo non solum utile, sed necessarium sit pro fide nostra consurgere, & instantibus inimicis toto conatu resistere, dilectionem tuam requirimus, tibique velut Imperii sacri principi mandamus, ut tanquam princeps orthodoxus ac fidelis cultor crucis Christi, statuto termino ad Ratisponense concilium te conferas. Neque graveris in tanta necessitate populi Christiani eo proficisci, qui te alias etiam in Apiam transiturum hac de causa promittebas. Nos enim illic, & cum tua dilectione, & cum caeteris qui advenerint eam deliberationem, si Deus faverit, capiemus, per quam non modo tueri haereditatem domini, idest christianum populum, sed ultro in suis finibus impias Turcorum manus coercere atque confringere valeamus. Datum in Nova civitate pridie Idus Januarias, anno Dominicae Nativitatis 1453.

Lo-

Lectis his Philippus, iterum bene gerendi negotii spem recipit, dubius tamen inter duo: an Ratisponam quamprimo petat, an hostes in agro suo prius deturbet, hominem quemdam Dei in solitudine morantem, sanctum, atque incorruptum adit, ac rebus expositis consilium quaerit. Ad quem ille: Magna sunt, inquit, quae tibi divina pietas beneficia contulit, neque si mille annos in obsequio Dei labores, satis videri gratus queas. Nunc, si quod te dignum est efficere cupis, non tam tuum negotium, quam Dei curabis. Quae te domi premit tua causa est; quod Ratisponam vocaris Dei res est. Si mihi auscultabis, Duces eliges, qui terram tuam ab Anglico tueantur. Tu verò imperatori obedies, profectusque Ratisponam, ut Christiana religio defendatur ab infidelibus, navabis operam.

Confirmatus atque animatus magis ac magis hoc responso Philippus, Uilhelmum Tullensem episcopum, gravis judicii virum, doctrinaque juris pontificii ac prudentia multa praestantem, & alios plaerosque praelatos in Bohemiam mittit, qui de concordia cum rege tractent. Nam & paucis ante diebus per legatos partium coram pontifice Treverensi apud Maguntiam de hoc ipso actum fuerat, si pacem nequeant invenire, at saltem inducias belli petant. Ne si Bohemis opponere se oporteat, contra Turcos minus queat. Duci, quomodo id esse decretum afferant, aut cum Caesare, aut cum Rege in Graecia atque Asia pro fide Catholica militare, nec minus quam sexagintamilia pugnatorum secum abducere. Cumque modo Rex ipse Ladislaus, non modo Bohemiae sed Hungariae quoque regnum possideat, quantum sua intersit prosterni ac deleri Turcos ostendant, utque suam pueritiam tam necessario bello consecret oratum faciant. Tali legatione in Bohemiam missa, Philippus ordinatis quae domi fieri voluit, cum paucis comitibus, ex Flandria in Burgundiam se recipit, post in Alemaniam transit, ac per Suicensium & domus Austriae fines Constantiam venit, ubi nostra aetate magnum & memorabile illud concilium celebratum est, quod trium summorum Pontificum deleto scismate, Martinum Quin-

tum, Romanae primaeque sedi non dubitatum Pontificem dedit. At Philippo, quacumque iter facit, innumerabiles occurrunt populi, miranturque tantum Ducem, & summos aequantem Reges, inter nationes exteras iter habere. Hi diversos habitus; illi inintellectum sermonem notant. Nemo illi honorem negat; portae civitatum, templa, fora, tricinia publicaeque viae omnes ornantur. Certant inter se principes ac civitates, quis magnificentius Ducem excipiat. Albertus Austriae dux, non liberalitate minus quam nobilitate praestans, obviam factus se suaque illi dedit, licereque sibi impetrat, ut Philippi se filium vocitet. Comesque Virtenburgensis non sine muneribus duci se exhibet. Omnis Sveviae nobilitas Philippo gratias agit, qui suam terram visere dignatus sit, & amicorum domus fidenter accesserit. Ille omnibus pro dignitate salutatis, cum magna Germanorum caterva ad Ulmam descendit, quem cives ejus urbis & honore ingenti & affectu benivolentissimo suscipiunt. Fama interea regiones vicinas opplet, Philippum Burgundiae Ducem Ratisponam petere, intrasse Germaniam, venisse Constantiam, jamque Ulmam supra Danubium appulisse. Laudare complurimi pium principem, qui servandae amplificandaeque fidei nostrae curam gerat, Superos illi optare faventes, benedicere ac magnificare nomen, atque hunc unum esse asserere cui rerum summam par sit credere. Sed neque obtrectatores desunt, lividi ac maledici, qui principem hunc privati boni causa non communis advenisse dictitent. Alii hominem imperandi cupidum simulare se Turchis infestum, Religionis amantem, ajunt; inde ut favores aucupetur, & tumusculos populorum, quibus dignus imperio judicetur. Alii Brabantiam eum, Hollandiam, Zelandiamque injuste occupasse asserunt; venire ad Imperatorem has provincias ut in regnum erigat: cui sunt opes Regi magno convenientes, ne desit titulus; aut si hoc nequeat obtinere, titulum saltem feudi extorqueat. Negant importuni, atque imputati dicaces verisimile posse videri eum Ducem, cui libentiae, gratiaeque cordi fuerint, qui latissimis regionibus, maximis populis dominetur,

tur, abundet opibus, deliciis affluat, nulla re careat, quae possit voluptatem retardare, cum jam senescit Christi causam quaerere. Sed ut sunt homines, ita alios aestimant, de nostro ingenio proximos judicamus. Nulli suspectiores esse fures quam furi constat. Sceleratae menti non est pietas verisimilis. Neque pusillus animus maximis rebus fidem praebet. Quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Plerosque invidia vexavit, qui cum viderent suos principes communia facta negligere, Philippi gloriam ferre non poterant; indignum, minimeque tolerandum putabant, quas mereri laudes Germanos decuit eas secum Gallos reportare. Nos illius ducis intemeratum animum, & antea credidimus, & postea re ipsa cognovimus. Cardinalis autem Sancti Petri, qui forte in propinquo delitescebat; postquam Philippum adventare didicit; haud expectandum collegarum ad quos scripserat, responsum censuit; sed mox Ratisponam mittit, qui se venturum dicat, demumque apparet. Quod cum legatus apostolicus cognovisset, an Cardinali obviam exeat dubius, amicum quendam accersit: Cardinalem quovis honore dignum affirmat, quem summo Pontifici acceptum norit, optima vita patrem, & inter doctos facile primum. Sed venire eum aut suo tantum, aut Caesaris nomine; se vero primae sedis nuntium esse; vereri ne dignitati summi populi detrahat, si Cardinali non legato, legatus Episcopus occurrat? parvam esse apud Germanos Cardinalium curam, nisi legati nomen teneant. Nam & Guesnensem archiepiscopum in coronatione Reginae Poloniae in civitate Cracoviensi novissime constabat Cardinali esse praelatum. Super his amicus: Cum respicis, inquit, Cardinali an Episcopus praestet, si sacras literas & jura vetusta rimeris, nihil est quod tribuas Cardinali incognito & inaudito nomini priscis patribus. Quamvis divum Hieronymum quidam velint Cardinalem fuisse; verum & hic Augustino Episcopo scribens, quoniam erat Hieronymus major natu; in calce literarum: *vale*, inquit, *amice charissime, aetate fili, dignitate parens*. Nemo, qui vetera legerit, Cardinalem anteponat Episco-

co-

copo: quem vicem tenere Apostolorum non est ambiguum: hic dignitatem, hic ordinem, hic grande officium invenias, & ligandi solvendique potestatem. Fateor, Cardinalis maximam esse dignitatem, altum officium; caetera ne requiras. Hinc majores nostri Episcopos praetulerunt, quoniam Christi essent apostoli, & vicarii summi Dei apud suas plebes. Sed cedunt omnia tempori, omnia rerum domnae consuetudini parent: quod nunc est, non quod olim fuit, spectare oportet: hodie non modo Cardinales Episcopis anteferuntur; sed nescio qui tabelliones, quos vocitant, protonotarios, non minus inanis quam arrogantis nominis Episcopis antestant. Credo futurum alioquin, ut & cubiculari & ostiarii, & omnes intra palatium ministri Ecclesiarum pontifices antecedant. Quando hoc esse studium nonnullorum videmus, ut episcoporum nomen funditus extinguatur. Nec ab re meo judicio; nimis enim inveteravit Episcopalis apex, omnia nata occidunt, & omnia orta senescunt. Vetus est Episcopi dignitas, & ipsis Apostolorum coaeva temporibus, vetustate ipsa jam corruit atque tabescit. Cardinalium ac Protonotariorum nova est appellatio. Quid miri est, si virens ipsa juventus suis innixa viribus Episcopalem senectutem loco pellit, & accipit ipsa principatum? In exordio nascentis Ecclesiae communi praesbyterorum consilio parochiae regebantur: Neque major Episcopus praesbytero fuit, si Hieronymo credimus [*a*]. At cum Schismata excrevissent, & diceretur Ecclesiis: Ego sum Pauli; ego Cephae; ad unionem tenendam usu receptum est praesbyteros Episcopis haberi subjectos. Non est cur nobis injuriam fieri dicamus, si quae nos praesbyteris anteposuit consuetudo, eadem nobis & Cardinales aut alios cujusvis ordinis homines antetulerit. Tu ergo, si me audias, non recusabis Cardinali cedere; at huic maxime, qui cum Cardinalatu servat episcopatum. At mihi di-

(*a*) At negandum non est Episcoporum alium esse ab ordine presbyterorum, quod & ipsi pariter Hieronymo persuasum, ut est alias a me in animadversionibus ad Historiam Ecclesiasticam Natalis Alexandri to. 3. pag. demonstratum.

dicis: non est Episcopo cum Cardinali contentio, legatum Episcopum Cardinali non legato praeferendum existimo; falleris: Basileae vidimus, quos miserat Eugenius praesidentes archiepiscopos, honorem, locumque Cardinalibus dare. Ajunt enim, ut nosti, unum summi Pontificis atque Cardinalium corpus esse. Denique ne multis agam tecum; cum dubitamus aequum ne sit, quod agimus an iniquum, ejus ingenium moresque ante oculos revocare oportet, cui est facti reddenda ratio: ut hoc geras quod illi probare posse confidas. Tibi modo cum sede apostolica negotium est; quo pacto haec te arguat Cardinali cedentem, quae Cardinalium voluntate nutuque regitur? Ego, si tuo loco sim, Cardinali obviam ibo: primumque sibi honorem locumque dabo. Nec verebor ne parum dignitatem meam retinere videar; cum sit mihi temporale munus, illi perpetuum. Rursusque nec me Polonorum movebit exemplum; si consuetudo apud illos non ratio Episcopo Cardinalem submisit, & archiepiscopo jus coronandi suum servavit. Placuere Joanni verba: itum est obviam Cardinali, introivit; legati Caesaris quae mandata habuerunt ad eum retulere.

Ludovicus interea Bajoariae dux consiliarios quatuor Ratisponam mittit, qui legatos Imperatoris convenientes, in hunc modum colloquuntur. Quamvis honoratum sese magnopere Ludovicus intellexit, quia se praesidentem in hoc concilio Caesar elegerit; non tamen id muneris subeundum sibi existimat, tum quia juvenis & inexpertus, tum quia Philippus Burgundiae dux eum ad se accersit, quem videre, ut ait, admodum cupit antequam Germaniam excedat: hoc Ludovicus pro necessitudine quam cum illo habet negare non potest. Accedat eum, * gratias sibi aget, qui nostram nationem sua praesentia illustrare dignatus est, morem ei in quavis re geret, sive seria, sive jocos malit. Vestrum erit principem nostrum axcusatum Caesari reddere, si legationem ejus hoc tempore non amplectitur. Verum quia incertus adhuc Philippus est, an huc se conferre debeat, cum de Caesaris adventu nihil certi exploratum habeat, cupit Ludovicus ex vobis cognoscere an Caesari complacitus

* sc

citus sit Philippum huc loci si forte adduxerit. Nam sive hoc, sive aliud malit Imperator, id curabitur, quod ex re Caesaris arbitremini. Neque id arduum erit, cum dubius animus paulo momento, aut huc, aut illuc impelli possit. Nos interea temporis apud vos erimus, & in rebus agendis nostri Ducis nomine navabimus operam. Ad haec legati Caesaris, optasse se ajunt, Ludovicum ducem praesidentiae pondus accepisse, qui & suopte ingenio multum saperet, & consiliarios haberet expertos rerum; mansuros se tamen adventum ejus, secumque de hoc ipso denuo loquuturos. Philippum autem Burgundiae Ducem scire se literis Imperialibus accersitum, nec dubitare adventum ejus impense placiturum Caesari; facturum quod se decet Ludovicum, si tantum principem magnifice honoraverit, Ratisponamque traxerit; praesentiam autem consiliariorum ejus in conventu sibi esse charissimam: quos prudentia & auctoritate praestare non ignorarent. Dum haec aguntur legati diversorum prinpum, pluriumque civitatum adventant, qui se praesidentibus exhibentes, operam suam in communi offerunt. Consiliarii Caesaris ubi conventum paulo auctum vident; in praetorium civitatis universos vocant. Ulricus Gurcensis Episcopus inter consiliarios Caesaris fide prudentiaque nulli cedens, patrio sermone verbum facit; quae gesserit apud Constantinopolim Turcorum feritas; quae ultra minatur; cur dies universae Germaniae dicta sit. Optasse Caesarem cum suis principibus convenire, impeditum domi remansisse magna causa. Necessarium esse Christianitati consulere: seque cum collegis missum vicem Caesaris impleturum. Mandatum quoque in medio legi jubet. Denique, ut omnes in communi consulant, ne quid detrimenti amplius quam passa est Christiana res patiatur nostro tempore, rogat. Quibus dictis Cardinalis Sancti Petri, quoniam & ipse aliquando in Graecia fuisset, Constantinopolimque vidisset; multa de potentia Turchorum, deque Graecorum moribus in medium rettulit. Asserens, iccirco videri exterminatum iri Graecorum genus, quia Romanam Ecclesiam parvipenderint: durae cervicis atque impurae mentis homines. Qui etsi

pa-

palam intelligerent Latinos de fide multo melius, quam se sapere, errori succumbere mallebant, quam Romanae Sedis institutionem suscipere. Nullam gentem minus tolerabilem se aliquando vidisse, quam Graecam. Quae licet opes amiserit atque imperium, nec eloquentiae, aut quarumvis bonarum artium studia retinuerit: mentis tamen elatione atque superbia pene incredibili carere non potest. Legatus Apostolicus pro tempore pauca dixit, in aliud tempus dicturum se plura promittens. Post eum viri religiosi, quos fratres Beatae Mariae Theutonicorum appellant, cum priore suo Alemaniae surgunt, deque populis Prutenorum grandem querelam faciunt, qui cum foedus inter se minus honestum adversus religionem percussissent, idque demum Apostolica & Imperiali summa rescindere jussi essent, utrumque gladium contempsissent: atque arma sumentes dominos suos tota Prussia pepulissent. Neque religioni jam aliud parere, quam castellum Sanctae Mariae, & quaedam alia non magni momenti oppida; & ea quoque obsessa ab his esse: magistrumque magnum ordinis clausum vix posse defendi, consilia igitur atque auxilia petunt. Hic quoniam de Prutenis mentio incidit, quae sit haec regio, & quo pacto in religionis Theutonicae potestatem devenerit, si modo referam, nemo ut arbitror ab re dixerit. Prussia regio est supra mare Baltheum, quod ad Svetiam, Norvegiamque praetenditur. Hinc Saxones, illinc Polonios, Livoniosque conterminos habet. Mediam terram perlabitur fluvius, cui Viscela nomen est, qui ex Sarmatiae montibus ortus, per Poloniam & Prusciam in mare devolvitur, ac Germaniam Scythiamque disterminat. Hoc mare quamvis ab Oceano Brittanico ducit originem, undique tamen terra cingitur. Neque ut plaerique tradunt, Amphitrites dici potest. In quo errore mihi videtur fuisse Jordanis, qui Viscelam, Justulam nominans, in Oceanum decurrere confirmat. Hanc terram cum Gothi, duce Berigo, Scandaviam reliquissent, Ulmerigi tenebant, quos illi bello victos propriis sedibus expulerunt; atque deinde cum Vandalis, qui vicini fuerunt, manum conferentes, cum virtutem pene parem invenissent, eos

ſibi ſocios aſciverunt. Manſerunt hic Gothi uſque ad Philimerum, qui poſt Berigum quinto loco regnavit. Filimerus autem gloriae cupidus ſedes dum novas quaerit, ad paludes Meothides pervenit; ac ponte facto magnam partem trajecit exercitus, atque in Ponticum Euxinum, victis, quae mediae fuerunt, gentibus, penetravit, ibique ſibi ſuiſque perpetuas ſedes habuit. Hinc Scytharum laboribus ac bellis aſperum genus ortum: A quo Rex Perſarum Darius turpi fuga ſummotus, Cyrus cum omni exercitu trucidatus, Dux Alexandri Magni Sepirion pari ratione cum univerſis copiis deletus traditur, quem Romanorum audiſſe, non ſenſiſſe arma perhibetur: quem Parthicum & Bactrianum imperium condidiſſe vetus opinio confirmat. Nondum tamen omnes Filimeri copiae trajecerant cum pons in medio fractus, illis redeundi: & his qui retro fuerunt tranſeundi facultatem ademit. Remanſit igitur non parva pars Gothorum citra paludes, quae ſedes priores ad Viſcelam fluvium, ac Baltici maris litora repetunt: Haec cum ritu barbaro foetidoque vitam degeret, gens Brutenica dicta eſt; quamvis poſtea mutata prima litera, Prutenicum nomen obtinuerit. Hic Chriſti nomen incognitum, neque audita Romana tuba, neque ſignum Aquilae viſum ante Frederici ſecundi tempora fuit. Eo vero imperante, cum jam Saraceni Hieroſolymam obtinuiſſent, atque urbem Accon expugnaſſent, Fratres beatae Mariae Theutonicorum, qui ex orienti fugam fecerant, ne per otium tabeſcerent, Hermano duce claro, atque animi & corporis dote pollenti, qui tum religionis Magiſter fuit; Imperatorem adeunt, Pruſciam, ſi queant ab infidelibus extorquere, dono petunt; obtinent: auxilia vicinorum implorant: bellum Prutenis inferunt, diu varia victoria pugnant; ad extremum victos Paganos ſub jugum mittunt, dominatum terrae accipiunt. In Livoniam tranſeunt, regionem longe lateque populantur, barbaros quam plurimos ad Chriſti religionem trahunt: ditionem ſuam mira foelicitate amplificant. Fiunt potentia, faſtu, gloria, pares regibus. Cum Polonis frequentes lites ineunt; nunc ſuperantur nunc ſuperant. Denique patrum noſtrorum memoria Uladislao gentis

regi, prudentia & animi magnitudine, ac religionis cultu memorabili bellum indicunt. Is impigre praelium struit, Vitoldumque fratrem suum magnum Lituaniae ducem, in auxilium vocat, virum sui temporis severissimum & astutiarum plenum: Praelium Julio mense committitur; pugnatum est summa contentione; diu Mars dubius fuit: multi hinc atque inde ceciderunt; ad ultimum victi religiosi corruunt, sexcenti equites natu nobiles ea pugna periere. Vulgus ignobile sine numero caesum. Victor Polonus omnem Prusciam invadit; religioni castellum beatae Mariae tantum remanet. Sed interveniente Sigismundo Caesare provincia fratribus restituta est; aurum regi datum; foedus utrinque perpetuo dictum: Regnaverunt posthac suo modo religiosi compluribus annis: subditos suos pace parta non tam metu quam beneficiis in obedientia retinentes. At cum pax divitias, divitiae superbiam luxumque peperissent, saevire fortuna ac miscere omnia coepit: administrante Paulo religio scissa est: aliud his, aliud illis videri; insidias invicem tendere, alter alterum ferre non posse; qui res belli asperrimas, maximaque pericula toleraverant, quietem, atque opes pati non posse. Fratrum igitur maior pars a magistro deficit. Is veritus ne civitates quoque dividerentur, & aliae suam, aliae suorum aemulorum partem sequerentur, vocatis rectoribus earum, ut se uniant, jubet haud dubitans, quin uniti secum sentirent. Civitates occasionem nactae faciendi, quod tota mente quaerebant, accersita nobilitate ac militia Provinciae quas vel praelati vel religiosi multis ante annis iniurias in populum contulissent, non sine grandi querela commemorant. Regimen terrae pessimum esse; nisi occurrant, ruituram patriam dicunt. Est omnibus unus animus, nunc cum facultatem habeant, succurrendi, ne propriam salutem deserant: Fit conventus indulgente magistro. In eo decernitur sexdecim virorum fieri consilium oportere, quod singulis annis certo loco, certoque tempore sedens querelas privatorum audiat, gravamina corrigat, neque iniuriam cuiquam fieri sinat; si quis huius consilii censuram contempserit, in

eum

eum publice vindicetur; sive is Episcopus, sive Magister supremus fuerit. In eo consilio qui praesideant, placet quatuor ex ordine praelatorum quatuor ex religiosis, reliquos octo ex nobilibus ac civitatibus assumi debere. Probat omnia Paulus faventes sibi ut civitates sint. Nec diu post legati civitatum Fredericum tertium Caesarem adeunt, Religiosorum ineptum regimen accusant, indignis se contumeliis affici queruntur; foedus quo se ab iniuriis tueantur ut sibi habere liceat impense petunt, de facto foedere nihil aperiunt. Indulget Caesar, si modo juri religionis nihil praejudicii fiat. Post aliquot annos, mortuo Paulo, Ludovicoque in ejus locum suffecto, noticia foederis ad Nicolaum quintum Ro. Pont. defertur. Is legatum in Prusciam mittit Episcopum Silvensem, hominem Portugallia natum, qui brevi tempore cuncta rimatus conventiones nexusque civitatum in publica forma Romam defert. In his pleraque capitula inventa sunt Ecclesiasticae libertati adversa: canonibusque contraria: decernit apostolica sedes iniquum foedus, atque ipso jure irritum: qui illo prae hac utatur cum anathemate ferit. Id ubi inter Prutenos palam factum est, sunt qui censuras veriti mox foederi renunciant, quos reliqui velut infames ac pejerantes falsum probro habent, atque indignos hominum consortio: Crescit ob eam causam vulnus, odia inter civitates & Religionem augentur. Turbida omnia fiunt: nihil boni, aut aequi consulitur. Religiosi postquam auctoritas ecclesiastica contemptui est, Caesarem uti brachium saeculare adhibeat contra rebelles oratum faciunt. Imperatori vocanda altera pars, atque audienda videtur.

Ante Caesaris tribunal legati utriusque partis ubi comparent, alteri criminantur alteros. Deinde in Caesarem velut arbitrum compromittunt, ut is controversiam quae hinc atque inde obiici possit omnem audiat, ac jure diffiniat; eo pacto ut conventio ac reconventio eodem judicio terminetur. Ad diem dictam cum ambae partes misissent, legati Civitatum dum per Moraviam iter faciunt, in manus latronum incidunt, excussique

que

que bonis omnibus, carceribus mancipantur. His de rebus suspenditur in alteram diem cognitio, & rursus in alteram, donec verisimile sit, aut dimitti legatos interceptos, aut alios ex Prussia remitti: fit haec prorogatio contranitentibus religiosis, qui non obstante captura procedendum esse contendebant; cum legati Civitatum aliud iter habentes, suopte ingenio per Moraviam perrexissent, inhospitam terram ac latronum domum, ubi rapina laudi datur, nec nobilis unquam censetur, nisi praeda, raptuque vivat. Sed qui dandam esse dilationem putabant, nullam ex Prussia in Austriam satis tutam viam inveniri dicebant, legatisque nihil imputandum, qui non modo Imperatoris, sed Ladislai quoque Bohemiae regis, ac Moraviae Marchionis publicae securitatis literas impetrassent, atque his confisi recta via ad Austriam properassent. Fuit autem ultima quae concessa est dilatio sex dierum & XII hebdomadarum. Ea pendente legati Civitatum e custodia dimittuntur, adnitente plurimum Georgio Pogebratio regni Bohemiae gubernatore viro illustri & alto ingenio. Postquam secundo partes in praesentia Caesaris adsunt, concordiam plus quaerere quam judiciarium sequi rigorem placet; delecti qui hoc agitent. Diebus pluscul s frustra nituntur, legati Civitatum indigne se multa perpessos a religiosis queruntur, relicturos se foedus ajunt, si modo cautum sit; ne contra privilegia deinceps vexari queant. Religiosi nihil se indigne fecisse affirmant, foedus nisi ante omnia refutetur, spem nullam concordiae praebent. Itur ergo in jus, ibi Petrus Knor, qui tum religionis patronus, erat, vir doctus ac dicendi peritus, iniquitatem foederis exponit, quod neque civili, neque canonico jure subsistere possit. Civitates magno magistro simulque conventui obedientiam promisisse, ac jurasse dicit; constitutiones Caroli quarti & aliorum Caesarum vetustas leges in medium profert, quibus conventiculae prohibentur, omnes qui convenissent, dapnosumque Religioni foedus iniissent, infames ac perjurios asserit; excidisse privilegiis, amisisse feuda, dignitate quavis nudatos esse, simulque auri magno pondere

dere plectendos; foedus iniquum, cassum atque irritum pronuntiari debere. Anathema quoque in omnes promulgat, qui foederi contra mandata Romani praesulis adhaesissent. Martinus Majer eo tempore causam civitatum tuebatur bona facundia & scientia juris viris disertioribus comparandus; ubi Petrus dicendi finem fecit, rogato Caesare, ut se quoque audiret: Civitates inquit indigne accusari, neque merito vel perjuras, vel infames dici, quae minime jusiurandum contempsissent foedus ineuntes, quod cum voluntate magistri & aliquorum praeceptorum percussissent, facturosque sese omnia permisissent in quibus religioni tenerentur. Neque belle adduci leges, aut canones conventicula prohibentes, quae tunc damnantur cum sine jussu aut voluntate superioris aguntur. Civitates namque Prutenicas jubente Magistro convenisse, ligam nullo pacto irritam videri posse, quae auctore principe facta fuisset: nec rursus excommunicationis vinculo civitates teneri, quae nunquam vocatae neque auditae a summo Pontifice fuissent. Esse praeterea jus naturae, ut se quisque vitam corpusque tueatur, neque indignas oppressiones ferat. Religiosos tenuisse Civitates loco servorum, nihil curasse libertates earum a divis Imperatoribus obtentas: hos agris illos uxoribus spoliasse: monetam percussisse damnosam, thelonia graviora induxisse, bella minus necessaria gessisse, dampnasse ultimo supplitio innocentes, delinquentes accepta pecunia liberasse, non fuisse in terra Pruscia justiciae locum: frustra questum populum. Si quando Romanus Pontifex imploratus est; dixisse fratres ad Imperii se tribunal pertinere: Si rursus Imperatoris censura quaesita est: in apostolicae sedis refugisse tutelam. Viros quatuor & viginti, qui de gravibus causis Romam ibant questum, interceptos a religiosis occisos, & cum equis terra obrutos. Tot insolentius oppressas Civitates, cum nullum esset aliud remedium, ad suam defensionem id foederis necessario recepisse, ad eamque rem Caesaris auctoritatem accedere dicens. Literas Friderici tertii, qui tum sedebat, legi jussit. Auditis literis negavit Petrus magistrum Prusciae conventum Civita-

tibus

tibus indulsisse, aut ligam quovis modo probasse. Quod si factum fuisset, non tamen excusatas Civitates esse, quae non magistro duntaxat, sed magistro atque Conventui juramentum obedientiae praestitissent, apostolicum anathema refelli non posse dixit, cum Romanus Pontifex causa cognita ligam damnasset, jussissetque ne quis illa uteretur: si quis contra faceret anathema feriretur. Quid ni excommunicati essent, scienter usi. Quae de gravaminibus atque iniuriis Martinus dixerat, partim refellit, partim negavit. Contra, Caesaris literas abiecit, quia neque locum in quo datae fuissent, neque secretum geminae signum ex more continerent, emanassentque longe post ligam fractam, neque retro trahi deberent. Deinde laxatis habenis: Quid ego, inquit, tecum Martine contendam? Concedo tibi quae cupis omnia: esto magister conventusque ligam fieri consenserit: Caesar facultatem praebuerit: Papa minime manum opposuerit: gravissimas injurias ex religione civitates acceperint: quid tum? Licet ne icteirco foedus inire perversum, statuta iniqua condere, juramenta recipere quae libertatem ecclesiasticam pessundent? Age, Martine, quid hic respondes? capitulum illud est unum pessimum, quod inter caetera civitates sanxerunt, in quo se judices super dominos suos constituunt. Ajunt enim: si factam injuriam cuipiam cognoverint, sive religiosi, sive praelati injuriati fuerint, daturos se operam, menda ut aequa dignaque fiat: id si nequeant obtinere vindicaturos se; id mali minantur in eum qui damnum dederit, qui cum is demum fuerit, sive magister ordinis: sive Pontifex. Quid tibi, Martine, videtur, licet ne subditos facta superiorum corrigere? Esto, liceat: quid illud? vindicare in praelatos inque religiosos licet? Tum Martinus, cogis me, inquit, Petre, plura quam ab initio statueram dicere: parebo voluntati tuae. Unicum est, ut video, capitulum, quod toto in foedere damnas: reliqua ergo omnia probas: recte hic agis; illud inique, quia multa, quae bona sunt, unico malo perire vis: non sic rector orbis coelique motor Deus, qui multa milia malorum salvaturum se Loth promisit,

si decem in civitate bonos viros offendisset: apud Deum paucis bonis multi mali salvati sunt: apud te, Petre, multis bonis unus malus exitio est. Sed ostendam tibi neque unicum hic malum inveniri capitulum. Nam quod xvi. viris permissa est, super illatis injuriis cognoscendi facultas, eatenus intelligendum est, quatenus illi capaces sunt: si de re profana quaesitio est: cur nequeant laicus adjuncto clerico cognoscere? sed hoc quemadmodum diximus, ex consensu partium datum est: haud hic actio injuriarum intentatur, quam possis dicere personalem; sed rei per injuriam amissae vendicatio datur. Si hoc modo capitulum accipis, nihil est quod criminari possis; neque tua est justa objurgatio, qui vindictam accusas in Episcopos atque magistrum; ostendis enim cum multum intelligas te nihil intelligere; non enim vindicaturas esse injurias Civitates ajunt, nisi cum alia via saluti suae consulere nequeant; hoc est potenti manu Magister, vel Dominus Episcopus injuriam pergit facere: ibo obviam, ac vim vi repellam; Neque tu, Petre, hoc justum esse negabis, qui a natura ipsa defensionem indultam esse non ambigis; neque hic vindictam quasi vetitam ultionem intepreteris. Nam & vindicta dicitur, cum se quispiam adversus injuriantes modo licito, atque honesto tuetur. Neque nos tam verba; quam sensum convenit sequi. Ego paulo ante dixi tuos religiosos multis modis injurios civitatibus esse multaque ab his fieri indigna. Neque permitti homines Prusciae justitiae causa vel Papam, vel Imperatorem adire: haec si vera sunt, quis non intelligit licere civitatibus factum facto tollere? At tu, cum ista neges, in nos onus probandi transfers. Neque id nos recusamus, si modo tempus datur & ad partes remissio & compulsoria. Annuis jam his, Petre, non dubito, qui nos aequum petere non ignoras. Immo vero, inquit Petrus, neque annuo, neque justum censeo: hic jam finiri litem oportet, diem dictam novistis: armatos venire in bellum decuit: non postquam in campum exieras, domum redire atque arma sumere. Demiror tuam, Martine, prudentiam: qui tempus ad ea proban-

da requiris: quae probata tuam causam nihil adjuvent. Age, si quid telorum habes, nunc emittito: neque parte praesente certamen fugias: novi ego tuas versutias, fuga salutem quaeris. Cum diu Petrus diuque Martinus invicem contendissent, eo demum deducta res est: ut super danda negandave dilatione omnis controversia consistere videretur. Emissis igitur litigatoribus, Caesar inter assistentes ex bono & aequo quid agendum sit percontatur. Aderant legati principum contra quamplures, qui cum accepissent coram Caesare civitates Prutenicas adversus religionem litem habere, subditosque contra superiores, atque, ut ipsi dicebant, servos contra dominos, jus sibi nimium vindicare; non tam vocanti Caesari morem gesturi, quam propriam acturi causam, ad commune restringendum incendium accurrisse videbantur. Primus tamen qui sententiam dicere rogaretur AEneas fuit Senensis Episcopus, qui hoc modo loquutus est.

Lis, quantum mihi videtur, optime Caesar, neque parva, neque contemnenda est, quae religiosos fratres, Civitatesque vexat; Non hic ager Arpinas, aut Tusculanus in quaestionem venit; de grandi provincia, de regno potenti quaestio est. Religiosi, ut sibi subjectas & ad omne imperium obsequentes habeant Civitates, conantur. Civitates ut liberae sint: religionique minimum debeant contra nituntur. Quinque, ni fallor, & quinquaginta Civitates inter se foedus iniere quod nunc religio damnat, hoc lippis oculis, ac summis, ut ita dicam, digitis, aut infringere, aut approbare grave est. Quantum ego sive legendo, sive videndo in hanc usque diem percipere potui, haudquaquam Regnorum causas jure ac juditio diffinitas invenio; nisi fortasse sub magno imperio parvum regnum in litem cecidit. Nam tempore, quo floruit Romana potestas, non me latet, & Reges litigasse de regno, & accepta sententia paruisse. Nec obscurum est duos fratres de regno Bulgariae contendentes apud Francfordiam Imperatoris olim juditium suscepisse. Sed poterat eo tempore Caesar, quod verbo dixerat opere complere. Nunc quae sit potestas imperii neminem fugit. Sede Apostolica etsi non-

nunquam Regnorum causas suscipit, quantas diffiniat videtis. Saepè nostris diebus de regno Franciae, de regno Siciliae, de regno Hungariae disputatum audivimus. Sed adhuc sub judice lis est. Regnorum controversias aut amici bonique viri componunt, aut gladius dirimit: mutae sunt leges, ubi loquuntur Reges Non minus verè quàm pulchre dictum est. Similes aranearum telis esse leges; quae tenuis census homines, quasi muscas capiunt; in transitu potentum, velut aquilarum dissipantur.

Sed quorsum haec, dicat aliquis? Nempe ne credas Caesar quancunque sententiam tuleris, acceptum iri. Ne praeceps juditium agas, ne sententiam promas quae ridiculo sit, omnia experiri prius quae sunt ad concordiam malim, quam ferre sententiam cui non pareant partes. Quaeris ex nobis an quae petitur danda dilatio videatur? Minime inquit Petrus. Cur enim eorum probatio requiratur, quae probata nihil praesidii causae afferunt? Sic Petrus existimat. Ego contra sentio; nam si probant Civitates magnum magistrum conventusque magnam partem fieri foedus consensisse; rursusque religiosos contumeliose rexisse provinciam, privilegia civitatum sprevisse; neque Romani Praesulis, neque Caesaris adiri tribunalia permisisse, quamvis ruat statutum ecclesiasticae libertati contrarium; non tamen est cur civitates quasi perjuras atque infames grandi pecunia condemnemus, foedu'que totum irritemus quod potest magna in parte salvari. Statuto igitur dandam esse dilationem, quae petitur, non modo ut probentur quae Civitates obiiciunt; sed ut iterum atque iterum de pace tractetur. Illic principales erunt partes, apud quas & pacis & belli plena potestas est; hic procuratores sunt; quos servare mandati fines diligenter oportet. Quis novit, an quae hìc negatur, ibi concordia reperiatur? Dilationem mea sententia, Caesar, quae petitur non negabis. Legatos in Prusciam praestantes viros mittes: partes ad concordiam summo conatu vocabis: Si annuunt; rem pene divinam confecisti. Si neque illic paci locus est; jube probationes recipi, quae possunt; atque in alteram

teram diem vocatis partibus cum consilio principum sententiam prome. Quod si negata dilatione processeris, vereor ne Civitates indigne circumventas, aut oppressas se dicant, atque sententiae tuae, quasi nimis affectatae parere recusent.

His ab AEnea dictis, rogantur legati Archiepiscopi Maguntini quae sentiant dicere. Hi cum caeteris principum legatis colloquium petunt; assurgunt universi atque in alium se locum recipiunt; diu inter se confabulantur. Ubi unanimes sunt, reversi, dilationem concedendam negant, neque aliud causae dicunt: nisi quod probatis quae Martinus pro sua parte adduxisset non tantum foederi pondus esset. Atque hoc esse legatorum omnium concors judicium asserunt: ad ea quae dixerat AEneas nihil respondent. Quaeritur deinde quid opinionis habeant Consiliarii Caesaris: demptis paucis, omnes in sententiam AEneae dilabuntur. Legati Principum duo de viginti fuerunt. Consiliarii Caesaris quatuordecim, ex quibus duo incerti fuerunt; caeteri quamvis cum AEnea saperent, numero tamen victi sunt. Caesar, quod est consuetum, majorem partem sequutus est; quanquam male sese res habet cum sententiae numerantur, non ponderantur. Martinus, quamvis spe magna cecidisset, non tamen animo decidit; sed cum succedere hac via non videt, alteram aggreditur. Audiri jam Civitates aequum esse dicit super querelis suis contra religiosos, antequam sententia de foedere promatur: quin ex compromisso liquet conventionem atque reconventionem simul terminari debere. Nihil dubitans, quin admissa reconventione, dilationem obtineat, ad ea probanda quae contra religiosos obiecerit. Sed neque hac via successit.

Assurgens enim Petrus renuntiatum esse reconventioni a Martino dixit. Qui cum defensionem suam multis verbis exposuisset, interrogatus denique num quicquam proponere vellet: & reconventionem se nolle interpetrari dixisset. Fatetur Martinus illis se verbis usum quae Petrus ait. Sed addidisse *ea vice*, atque illam vicem pro illa audientia posuisse, ne taedio esset auditori-

ribus; neque verisimile cuiquam videri posse, tantam causam, tam magnam, tam contentiose agitatam unico verbo donari; ac propterea esse remissum, quia dictum a se fuerit ea vice nolle reconventionem praeponere, neque se mandatum tantae donationis habere, qui sit ad causam procurator, atque advocatus constitutus. Negat Petrus dictum esse *ea vice*; Martinus instat dictum: fit controversia an sit dictum. Hic rursus emissis litigatoribus de dicto quaeritur; Notario, qui pro Martino testimonium praebet, non adhibetur fides. Rogantur Assistentes, qui audiverint *ea vice*; dictum quinque dicunt, duodecim negant, reliqui neque hoc, nec illud asserere se posse asserunt, quod non sint omnium verborum memores. Res cum magis dubia redditur. Sunt qui voces illorum praeferendas putant, qui dictum ajunt obaudisse; namque quae sunt dicta facile quispiam potest audisse, quae dicta non sunt nemo potest. Contraria tamen sententia obtinuit, atque iis creditum est, qui dictum ea vice negaverunt. Non tamen reconventio prorsus negata est. Sed procedendum in causa foederis sententiatum; atque id tacitè sublatum, quod Martinus ex forma compromissi petebat, conventionem simul, reconventionemque currere. Inter haec rursus de concordia tractatur. Legati civitatum arbitrio Caesaris concedunt, foedus ex communi consensu deleat; dum suis privilegiis alio consulat remedio. Religiosi nisi sententia feratur, cassetur que liga, nulli concordiae auscultant.

Tum Martinus: civitates, inquit, ex compromisso coram Caesare litigare: arbitros autem, prohibente parte pronunciare non posse, ne Caesar in causa ultra procedat: quoniam formae compromissi non est locus rogat Legati procuratores revocant. Notarios quosdam relinquunt, qui publice protestentur, si contingat absen e parte procedi; pars legatorum e vestigio recedit. Sequentibus diebus quaeritur in consilio, an liceat Caesari, parte altera, sive absente, sive prohibente, sententiam promere. Sunt qui negant: & qui affirmant: nec leges, aut isti parti aut illi desunt: Scientia nanque

que juris aut huc aut illuc facile flectitur. Majori parte placet litigatoribus quamvis absentibus sententiam ferri, quia compromissum in Caesarem factum jurisdictionem, quae illi est in omnes, haud quaquam extinxerit. Quod si non teneat sententia tanquam arbitri, tanquam Caesaris & ordinarii judicis omnino sit valitura. Caveri quoque in compromisso dicunt, si qua pars litigatorum abfuerit, ad instantiam praesentis procedi debere. Convocantur de more Civitates sententiam auditurae. Notarii, quibus id negocii mandatum erat, adversus compromissi formam & absente praesente procedi queruntur, solemnemque protestationem efficiunt. Sed nullum his pondus inest; fertur sententia, quae hunc habet sensum. Civitates inter se jure foedus facere non potuisse, neque valere factum, cassum quoque atque irritum esse. De poenis nihil dicitur. Nam eas religiosi priusquam sententia promeretur in voluntatem Caesaris posuerant. Literas sententiae utraque pars recipit. Civitates uti calumnientur; Religiosi uti se his juvent. Legati Civitatum reversi domum, spretos se atque irrisos coram Caesare dicunt, sententiam ex odio atque invidia latam. Compromissum violatum, venisse consiliarios principum homines partiales pretio conductos qui Caesari assedissent, neque jus fieri ex aequo & bono siniissent. Debitam dilationem pactamque reconventionem negassent, inauditis rationibus ligam damnassent, Civitates omnes infames declarassent, pecunia inaestimabili multassent, privilegia libertatesque ademissent, optimates populi capitali poenae subjecissent, reliquum vulgus in perpetuam servitutem iratis fratribus praebuissent. Commoti hac relatione populares, non sine grandi furore arma sumunt, oppida mura cincta & arces quasque munitas, sive praelatorum, sive religiosorum expugnant, diripiunt, diruunt, fratres complurimos in vincula coniiciunt, obstantes occidunt: intraque dies paucos omnem Prusciam sibi subiiciunt; oppidum quod beatae Mariae vocitant cum paucis aliis in potestate religionis remanet; quod esse munitissimum ferunt triplici fossa circundatum, muris egregie ac turribus aedificatum, annona armis, & omni machina belli

belli copiose refertum; huc se tota religio recipit, sperans, quod olim contigit, ex hoc loco amissam provinciam vendicare posse. Nec populares hujus oppidi fortitudine deterrentur, copias huc admovent, obsidionemque parant; sed non absque suorum magno detrimento repelluntur. Magister Alemaniae, vir nobilitate ac prudentia memorabilis, cum haec audit, Albertum Marchionem Brandeburgensem, magnum illum & peritissimum belli Ducem, multis rogatum precibus in Bohemiam dirigit; ibi ut auxilia regis adversus Civitates Prutenicas quaerat. Ipse Ratisponam se confert, ubi Theutoniae principes conventuros intelligit. Quo cum venisset atque fandi potestatem impetrasset, perfidiam civitatum duris verbis accusat, quae spretis apostolicae sedis atque sacri Imperii decretis adversus dominos suos arma coepissent, castra diruissent, Religiosos fratres partim neci partim captivitati dedissent. Consilia atque auxilia contra rebellem periuriamque gentem flagitat; & quantum necessarium sit ei argentum ad militem conducendum, quae sunt in Alemania, possessiones religionis venditurum se ait. Indulgentiam Papae atque Imperatoris ex legatis petit. Multa ibi de tanta injuria verba fiunt, dolere se omnes casum religionis ostendunt, acta civitatum vituperant. Rem potissime gravem reddunt oratores Marchionum Brandeburgensium, qui primi inter amicos religionis videri volunt; Cardinalis quoque Sancti Petri acerbo animo de tali novitate loquutus est; nationem Theutonicam pluribus verbis admonet, ne suam gloriam suumque decus amittat. Prusciam enim unicam terram esse ait: quam Theutones armis in alieno solo quaesierint; caveant ne id laudis perditum eant, si vel libertatem sibi Civitates vendicent, vel dominum ex alia natione asciscant. Legati Papae atque Imperatoris rem esse odio dignam ajunt; neque Imperio, neque Apostolicae sedi tolerandam, quam Civitates attentasse dicuntur. Neque dubitandum esse, quin utraque potestas in favorem religionis assurgat. Consensum de vendundis possessionibus ex Papa atque Imperatore petendum, consuleret religio quamprimum possit cum be-

ni-

nivolis atque amicis, exercitum paret, atque ante occurrat quam Mariae castrum expugnetur. Non tamen concordiae tractatum spernat, si quis haberi possit. Scitum illud esse omnia plus consilio quam armis aggredi sapientem. Inter haec venit ad concilium Joannes Luticho Casimiri regis Poloniae ac Lithuaniae magni Ducis orator, homo cautus, & qui iuris scientiam calleret. Is cum audiretur, Casimirum inquit: quantum esset christianae religionis zelantissimus aegerrime audisse, quae apud Constantinopolim Turchi perpetrassent; quia & gravissimo vulnere christianitatem confossam, & in futurum nostram religionem funditus eversum iri timeret, quando & Tartari & Turchi una mente Christi nomen delere conarentur, foedusque invicem ferocissime illae gentes iniissent. Pacatum tamen regis animum esse, quia cognovisset, Imperatorem cum suis principibus de tuenda christianitate deque vindicanda injuria Graecorum adversus Turchos consilium coepisse: hortari ergo ne coeptum opus deseratur. Quod si Theutones & reliqui Christiani contra Turchos exercitum ducant, Polonos, qui sunt finitimi Tartaris, immanibus illis & atrocissimis barbaris bellum illaturos, acturosque ne Turchis praesidio esse queant. Reliqua in aliud tempus dicturum se pollicetur. Huic AEneas Senensis Episcopus pro tempore pauca respondens, & Regem qui ad conventum misisset, & hominem qui venisset commendavit audientiamque cum vellet repromisit. Tum ille video, inquit, astare hic fratres Theutones admodum sollicitos: fortasse de re Prutenica vobiscum agunt, quamvis ea minime mihi commissa est; quia tamen regi meo sum obnoxius; si quid ex vobis petitur quod ad Pruthenos pertineat, oro ne properatis, neve contra regem meum inauditum quicquam decernatis. Nihil enim contra Civitates Pruscíæ statuere potestis, quin Regi Poloniae damno atque incommodo sitis. Fuit enim Pruscia quondam Polonici iuris; sed eam hi fratres multis annis contra jus fasque occupaverunt. Nunc quia nihil est perpetuum quod violenter agitur, exclusi eliminatique fratres sunt, Pruscia ad suum dominum reversa est. Prae-

lati omnes, excepto Varmiensi Episcopo, mei regis fidem sequuntur. Neque is diu alienus erit. Militia & Civitates universae sacramentum regi praestitere; is jam magno magistro bellum per feciales indixit, obsiderique ab eo Castrum sanctae Mariae non ambigo. Cavete, ne vestris decretis meo regi molesti sitis, pensate atque attendite diligenter quid expediat in tanta re agere; ne quid statuatis quod postea statutum esse nolitis; a Deo factum est illud & est mirabile in oculis nostris, ut tam terrae tantorum populorum tantum dominium, tot saeculis a corona nostra alienatum, jam sine sanguine, sine gladio, sine ulla (ut ita dicam) opera nostra in potestatem Polonicam redierit. Quod si vos modo hanc regionem novo bello implicueritis, vereor ne Turchorum causae faveatis. His dictis fremere ac maledicere homini omnes Alemani, vixque se continere, quin hominem unguibus laniarent. At magister Alemaniae. Nos, inquit, homo, cum tuo rege foedus aeternum paucis ante annis percussimus, jurejurando ac literis & sigillis id firmavimus, nec putamus tantum regem fidem fallere. Prusciam ex manibus infidelium armis quaesivimus emimusque nostro sanguine. Nunc si vera narras mirum est, ac monstri simile, & regem & Praesules, & nobilitatem Poloniae universam juramenta contemnere. Nos tamen praeterea provinciam nostram, haud quaquam vindicare negligemus. Jurgatum est utrinque diu, atque ita demum ejus diei soluta conventio.

In sequenti concione, cum de rebus communibus agendum esset, orta est de consessu non parva contentio. Constituta erant duo sessionis capita. Alterum Cardinalis tenuit; alterum Papiensis Episcopus, qui tum summi Pontificis vices agebat. Ad dexteram Cardinalis consederunt Senensis, Ratisponensis, & Gurcensis Episcopi ac reliqui Caesaris legati. Sinistram Papiensis tenebant oratores principum electorum. Quaesitum est ubi locandus esset orator regis Poloniae; Legati Caesaris ante oratores doctorum ei locum deberi dicebant. Cardinalis, qui Polonos ob novitates Prutenicas odisset, consulendos electorum nuncios ait: illi minime se passuros

ros inquiunt hominem ante se esse, qui nationi fuerit injurius. Multaque de principum electorum nobilitate ac dignitate in medium afferunt. Rogatur Polonus ad dexteram oratorum Caesaris locum accipiat. Is, se non ignorare consessum suo regi debitum ait. Ostenditque legati apostolici sinistram, quando Imperatoris oratores dexteram tenerent. Nam & Cardinalis ex legatis Caesaris unus habebatur: quod si post legatos Caesaris ipse collocaretur viderentur oratores electorum altius sedere: quibus sinistra Papiensis concederetur: Cum diu certatum esset, denique ita conveniunt; legatus apostolicus uti medius sedeat; tum hinc atque inde legati Caesaris; dexteram deinde Polonus, sinistram electores teneant. Quiescit hoc dicto Polonus. Cumque jam sessio concors esset, tum oratores electorum tamquam studiose facerent, quod Polono displiceret, magistrum Alemaniae vocant, eumque ante se collocant. Indignatus hoc facto Polonus assurgens, non feram, inquit, neque hoc loco sedebo, qui non est par meo regi; neque enim aequum est, oratores Imperatoris utrumque latus apostolici legati stipare. Satis est, si primum obtineant locum; moresque Basiliensis Concilii in medium adducit. Diu res in dubio est. Neque defuerunt qui Polonum excludendum dicerent, qui & res odiosas attulisset, & in aliena domo de possessione contendere praesumeret. At legati Caesaris peregrinum hominem & magni regis legatum benigne tractandum censuerunt. Fit igitur nova ordinatio. Vocantur Oratores principum electorum ad dexteram legatorum Caesaris. Polono ad sinistram, Piensis Episcopus assignatur, & post eum magister Alemaniae collocatur. Atque ita visum est legatum papae digniori esse loco quam Cardinalem. Res nova & inaudita nostro tempore: Sed noluit Cardinalis sui causa turbam fieri, homo quamvis alti cordis & animi videntis, pacis tamen & unitatis amator: & qui privatis rebus publicas antefert. Fuit & alia contentio inter legatos de consessu inter legatos Colonienses & Aquenses. Civitas enim Aquensis quamvis Episcopatu caret; ex privilegiis tamen Caroli Magni & aliorum Imperato-

 rum

rum caeteris civitatibus regni Alemanici praelata est. Eaque prima sedes & regni caput existimatur, in qua & rex inungitur, & regni corona suscipitur, servatumque ferunt patrum memoria ne quis civium Alemaniae, Aquensibus antestaret. Sed quis pauperum privilegia tueatur? frustra honores quaerunt, quibus opes desunt. Vicere semper divitiae, primumque locum occupavere ditiores. Attenuatis igitur Aquensium facultatibus coeperunt praeire Colonienses, atque in plerisque conventibus memoria nostra celebratis priorem locum obtinuerunt, qui ex Theutonicis civitatibus opulentiores habentur. In Ratispona tamen tentaverunt Aquenses suum locum vindicare; & prima quidem die inter Civitates primi sederunt; in sequenti vero concione assurgentes Colonienses Civitati primum debere locum dixere: Cur enim Colonia Agrippina cedat Aquensibus? qui nec vetustate, nec potentia neque nobilitate pares esse quoquomodo possunt. Coloniam ab ipso Agrippa conditam, quem generum Augusti Octaviani ferunt Italici juris ante fuisse quam Civitas Aquensis in rerum natura reperiretur. In Colonia sedem Metropoliticam esse, & ejus quidem Pontificis, cujus est Romanorum regem inungere & coronare. Aquensem Civitatem neque Episcopali Cathedra dignam habitam. In Colonia multas esse nobilium familias, quorum majores ex Patriciis Romanorum fuere. Vigere illic scholam Philosophiae & omnium bonarum artium studia. Claruisse illic magnum Albertum. Corpora trium regum, quos Magos dicimus, et ossa XI. milium virginum apud se quiescere. Urbem illam amplissimam templis atque civium aedibus splendidissimis, ac Rheno flumine dotatam, populo plenissimam, nusquam tota Germania parem habere. Intolerabile videri si tantae urbis legati Aquensibus cedere cogantur. Aquenses nihil horum negare; sed fuisse civitatem suam adeo Imperatoribus acceptam dicere, ut infulas illic regni, quam Coloniae, accipere maluissent: Habere se literas Caesarum, quibus caeteris Alemaniae civitatibus praeferrentur: dignum esse se suis privilegiis gaudere: Aquenses ad Imperium sine medio pertinere.

Co-

Colonienses habuisse Archiepiscopum ante tempora dominum; quamvis postea ad Imperium redierint. Frustra de nobilitate, de potentia, de vetustate disputari, quando lex aperta est Imperatoris, quae propter fidelitatem suam Aquenses omnibus aliis civibus anteponit. Diffinita causa, invanum argumenta proferri. Sed assistebant Coloniensibus aliae fere Civitates universae. Nam ubi divitiae plurimae sunt, eo & favor hominum se inclinat. Eo denique deducta res est, ut ex Coloniensibus unus antestaret; tum primus inter Aquenses: deinde mixtim, modo Aquensis, modo Coloniensis ordinem teneret: Placitum tamen utrinque est, ne quid per hunc actum Aquensium privilegio derogaretur. Dum haec aguntur, Philippus Burgundiae Dux, & Ludovicus Bajoariae, qui ei obviam processerat, per Danubium Ratisponae applicant, & cum his Alberti Ducis Austriae, Ludovici Ducis Sabaudiae, & aliorum principum diversorumque comitatuum legati veniunt. Quibus omnis conventus ad Danubii ripam occurrit, atque amicis verbis magnos Duces excipit.

Fuit autem Philippus corpore procero, grandioribus & illustribus oculis, naso adunco, quem vocant Aquilinum; erecto pectore, gracilioribus tibiis, modesto intuitu, moribus benignis, gratissimo eloquio, cibo potuque moderatiori, annos supra LX. natus, neque mentitus aetatem. Mos illi fuit paulo ante meridiem e somno surgere, rem divinam visere, inde consilium de republica habere: tum prandere; post inter amicos versari. Hinc dormiscere paulum: mox ludo, jocisque ad vesperam laxare animum; coenam denique ad multum noctis pertrahere, audire cantus, interesse choreis; rursusque consiliariis aures dare; postremo quieti se committere. Accepimus tamen ex his qui secreti ejus habentur conscii, non dormire hominem ad meridiem; sed consurgere ante opinionem vulgi ac familiae, aliquot horis, idque temporis privatis suis actionibus elegisse. Nam cum sit alioquin suapte natura facilis, neque ulli se neget; nisi hoc ordine vitam instituisset, nullum erat tempus, quod suum dicere potuisset. Hunc

visi-

visitarunt domi suae legati Caesaris, laudarunt de remotioribus partibus adventum ejus. Dixerunt enim rem fecisse Imperatori gratissimam. Exposuerunt & sibi causam quae Caesarem domi retinuisset. Dixerunt se de suo accessu Imperatoriam majestatem reddidisse certiorem, suasisseque ut ascenderet ad concilium, venturumque opinari, si id ex utilitate sua publicaque facere possit, responsum prope diem affuturum, conventumque apud se haberi uti ferret, rogaverunt. Nam caeteri, qui adessent, excellentiae suae non inviti cederent. Ad ea Philippus hoc fere sensu respondit: literas Caesaris, quibus ad concilium vocatus esset, ait in Flandria sese recepisse; fuisse sibi adversus Anglicos bellum, qui rupto foedere agros suos populati essent. Rogasse se incolas terrae ad tuendam patriam demorari; sed plus apud se Caesaris mandata, quam subditorum postulata valuisse: Praeposuisse majora minoribus, & privatis publica: venisse Ratisponam non sine ditionis suae dispendio; adesse Caesarem, qui se affuturum scripserat, speravisse. Cupere adhuc ejus adventum, ut res fidei Catholicae felicius dirigantur. Conventum apud eum fieri non decere. Venturum se in aedem, quas legati Caesaris habitant: aut alium in locum, quo illi jusserint. Caesarem suum esse dominum, aequum se scire his geri morem, qui ab eo legati essent. Sic maximus ille princeps quanto sublimior est, tanto se submissius gerere ostentans, quod erat omnium in se nobilissimum. Neque enim multa de se nobilitas opinatur, neque primas sibi vendicat partes, nec cervice procedit obstipa, nullum salvere jubens, nulli manum porrigens, quemadmodum plaerosque novimus, qui sanguini suo renunciatum a se censent, si minorem se quempiam salutaverint: veri trunci, nihil pensi habentes quam columnae marmorae, aut aereae statuae degeneres isti atque ignobiles habendi sunt. Virum nobilem jure dicimus, qui cum majores suos longa serie claros, potentesque referat, progenitorum vestigia imitatur, gloriamque gentilem adauget, qualem vidimus Ratisponae Philippum, non elatum potentia, non inflatum opinione sui, nulli se praeferentem,

nulli

nulli molestum, aditu facilem, & nobilitati & plebi communem. Is, ne se levi motu tractum ostenderet, jussit afferri literas Caesaris, quae se vocaverant; atque his lectis adventum suum in Caesaris vocatione fundatum palam fecit; quia non licuisset se suo principi non paruisse. Legati Caesaris rursus gratias agentes magno Duci, qui mandatis Imperialibus obtemperasset, tanto eum esse laudandum magis affirmavere quanto cum majori periculo atque incommodo pro communi omnium patria suam propriam reliquisset. Conventionem autem in praetorio Civitatis habendam statuerunt, quando apud se illam teneri Philippo non placuisset. Prius tamen quam de communi negotio transigeretur, expectari Caesaris responsum libitum, si forte sua celsitudo ascendere decrevisset.

Joannes de Lysura dum expectatio pendet, vir acris ingenii, ac rerum agendarum & scientiae juris impense doctus, qui tunc Jacobi Treverensis Archiepiscopi, & principis electoris oculatissimi, & ad Rempublicam attentissimi locum tenebat, legatos Imperatoris adit; atque priusquam res publice agitentur pro quibus dicta dies est, ex usu videri solos Theutones inter se convenire, omissis Civitatibus, quae nondum vocandae viderentur. Aperiturum se illic nonnulla, quae Caesaris gloriam attingant: annuunt legati: convenitur apud Ludovicum Bajoariae ducem. Ibi Joannes, quasi ex ore omnium, servatum esse retroactis temporibus ait, cum de rebus gravioribus haberi concilia fuit necessum, ante quam principes convenirent, inter legatos res ipsas discuti, ac discussas ad dominos demum referri, tumque concilium agitari. Idemque in hoc Turchorum negotio & maximo & difficillimo fuisse faciendum; memores priscae consuetudinis principes electores habuisse inter sese colloquia, priusquam ad concilium seu venirent, seu mitterent: praemeditatosque nonnihil esse pro tuenda religione christiana: salubre nunc videri, quoniam neglecta sit conventio praecursoria; cum legatis electorum & aliorum principum uti praesidentes Imperiales de provisione contra Turchos facienda pertra-

tractent, mentemque Caesaris notam reddant, atque hic vires potius examinentur, quam in aures Gallorum & aliorum nationum deferantur. Agebat hoc Joannes, quatenus eo res deduceretur, ut necesse esset de adventu Caesaris, ac deinde de paupertate Imperii disputare, paulatimque de resarcienda republica sermonem inveniri. Sed accepta sunt ejus verba a legatis Imperialibus in sinistram deterrimamque partem, tanquam Caesar ab eo incusaretur, qui conventum insciis electoribus indixisset, mentemque Caesaris in facto Turchorum nosse vellet: non tam probaturus quam calumniaturus existimabatur. Ea propter cum paululum inter se collocuti essent, legati Caesaris in hanc sententiam Gurgensem Episcopum respondere jusserunt.

Sive res magnae, sive mediocres in consultationem veniant, Imperatorem suo jure principum & subditorum suorum conventum indicere solitum. Nec suppeditasse hac tempestate Caesari tantum spacii, ut vel consulere principes electores de concilio indicendo posset, vel colloquium inter legatos praemittere, quod adversus Turcorum insolentiam praemeditatus esset Imperator. Id se jussos publice proponere; neque neglecturos aut quovis pacto variaturos Imperatoris mandatum, ne suo principi, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondere videantur. Commotusque deinde aliquantisper Gurgensis Episcopus. Quid vos hic, ait, electores tantopere commemoratis quasi omnes hoc in loco legatos habeant. At nos trium tantum electores praesentes cernimus. Reliqui nullum hic vel nuntiolum habent, cui mentem Caesaris exponamus. Haec cum audisset Joannes miratus apud Imperatorios oratores sua verba aegre fuisse recepta, ut est astuto corde & animo videnti, se prudenter expurgatum dedit; exin pedetentim ad rem Turchorum transiens: Ego, inquit, non calumniae causa cupidus eram audire quae cogitasset adversus Turchos Imperator; intelligo enim rem illam esse maximam, neque illotis manibus attingendam, quamvis minima esset Germanico nomini si hoc nostrum Imperium suo ordine regeretur. Sed videtis omnes hanc no-

nostram Theutoniam quassatam undique ac laceratam, & nulla in parte sibi ipsi cohaerentem. Hic civitates cum principibus lites immortales ducunt, ibi principes principi, civitates civitati bellum movent; nemo est tam infimae conditionis qui vicinis ex arbitrio suo bellum indicere non praesumat. Nullus angulus est nationis nostrae quietus; quocunque pergis latrones, insidias spoliationes, mortem timeas. Neque pax clero est, neque nobilitati honor. Raptoribus omnia patent: impletum est in nobis Ovidianum illud. *Vivitur ex raptu, non hospes ab hospite tutus, non socer a genero*. Completa est nequitia nostra. Nemo suae domi tutam agit vitam. Quid tu cum hisce moribus agas? Quo pacto contra Turchos arma sumemus, qui domi timemus alterutrum; & pudet nostri nominis, pudet hujus regiminis. Majores nostri quamvis neque opum, neque militum quantum nos haberent; imperium tamen Romanum, quod apud Graecos erat, ad se traxerunt. Cur hoc? nempe quia domi pacem colebant: foris bellum gerebant, Ecclesiam Romanam adversus invasores coactis exercitibus tutabantur: oppressis per injuriam quibusque proximis opem ferebant: neque inter se rapinas exercebant, neque in alios injusta spolia fieri permittebant: hinc illi, nec vetusta adeo res est, Imperium a Pireneis montibus in Pannoniam protenderunt, Italiam parentem habuerunt; Hispanis, Anglicis, Hungaris, Bohemis reges dederunt. Nunc vix lingua omnis Theutonica nostri juris existit. En quo nostrae nos divisiones impellunt. Omnibus per circuitum nationibus derisui atque contemptui sumus. Qui cum simus ipsi potentes, domi, nobiles opulentas civitates ac populo plenas habeamus, bonisque omnibus abundemus, quod est mortalibus optimum, domi pacem tenere nescimus: & quae illam gignit atque conservat, justiciae locum inter nos esse non sinimus. Haec dum ajo, vos fortasse, Caesaris oratores, sugillare me vestrum nostrumque principem arbitramini, qui nos justiciae ac pacis egentes reddat. Minime gentium hoc agitem: nihil est enim quod improperem suae majestati, si Germaniam pacare non pergit; neque enim

opus est suarum virium. Nota est omnibus ejus potentia; novimus quae sunt ejus vectigalia. Ex patrimonio tantum habet, quantum decet honestum principem. Ex imperio vix exhaurit, unde legatos alere possit, quos huc atque illuc dirigit. Non est Styria atque Corinthia, quae onera sufferre possit Imperii; neque si possit aequum censeam ex patrimonio Caesarem Imperio satisfacere, exhaeredare proprios liberos, ut communi utilitati subveniat. Nam quamvis alioquin sublimes & laudatissimi principes id egerunt; nunc tamen monstruosa fuerit haec charitas Satis est si personam suam Caesar exhibet, & in communi laboraturum se offert, quemadmodum anno superiore ex ore suo audisse me recolo, cum apud Novam Civitatem Archiepiscopi Treverensis agerem vices: vos Senensis, ac Gurgensis Episcopi praesentes eratis. Sed quos ego accuso? in quos malorum nostrorum causam retorqueo? Equidem omnes increpo, qui nomine Theutonico censentur; omnes inertes atque ignavi sumus: omnes supplitio digni, qui neque regem nostrum respicimus, neque de nostra republica solliciti sumus, & quasi nihil ad nos Imperium pertineat, omnia ruere sinimus, & in nostris manibus tantam extingui lucem, pro qua nostri progenitores animas suas dederunt. Et quo pacto credimus valitura membra languente capite? Quid nos capiti nostro, regi nostro contribuimus? Nihil ex nobis praeter nomen Caesar habet. Satisne hoc judicamus? Et quod, oro, sub coelo regnum est, quod suum non pascit regem? Pacem omnes optamus; odimus bellum, discordias, rapinas accusamus? Nec modum quaerimus habendae quietis: nusquam sine justicia pacem reperias. Quietum regnum judicia reddunt. At, dicat aliquis: juri reddendo Caesar praeest; nisi judicium faciat in culpa est. Sed unde is, obsecro, stipendia sumat: quae judicibus eroget? ponito milites, & juris interpretes assidue jus dicere: quis parere compellit invitum? Ecce nunc adversus Prutenos lata sententia est. At illi dum jubentur obedire, religioni magis insultant, vetustos dominos domo pellunt, neque sedis Apostolicae censuras, neque Imperii decreta formidant. Possem mul-

ta

ta in medium afferre mandata Caesarum, Sigismundi, Alberti, Frederici, quae memoria nostra incassum prodiere. Ecclesiam Traiectensem pluribus annis, & contra Romani Pontificis jussiones, & adversus Imperium Caesaris vidimus occupatam. Nunc quoque Monasteriensis Ecclesia quo jure teneatur non ignoratis. Quid Susacenses referam? Ecclesiae Coloniensis notissimam cladem? Quid illi vel summi Pontificis anathema vel nostri Caesaris bannum extimuere? Frustra leges condimus, judicia tenemus, sententias praeferimus, nisi manus adsit armata, quae contumaciam coerceat subditorum. Sed accusatis Caesarem qui temeritatem, inobedientiam non corripit, nec spolia prohibet, neque resistit potentibus injuriam facientibus. Quid ille inermis agat? Vetusti Caesares armatas habuerunt legiones, quibus injusti ac cervicosi homines facile plectebantur. Nunc noster Imperator solus est, & nudus. Armet & ipse legiones, dicat quispiam; & unde has nutriat, inquam ego? Quis exercitum nisi pecuniosus alit? Nihil est quod Imperio ministramus. Titulare atque inane est regis nostri nomen. Absque aerario regnum habemus; atque iccirco tantum paremus, quantum volumus: hinc lites immortales, cum se quisque regem ducit. Quod si quietem cupimus unum esse principem oportet: qui & jubere possit & cogere; Id fiet si regem nostrum egere prohibuerimus; atque ita ordinaverimus ut ad retundendam inobedientium contumaciam exercitum cum necesse est contrahere possit. Nec ego profecto quenquam esse arbitror Theutonici nominis amantem cui haec odiosa videantur. Neque enim Alemannia nostra adeo pauper est, ut regem suum magnifice nutrire non possit. Ego saepe apud Gallos sum versatus; cumque nostram nationem cum Gallica compararem, fatebantur omnes nos multo praestare, si parentes regi nostro fuerimus. At cum nulla inter nos obedientia vigeat, sitque sibi quilibet Imperator, ajunt de nobis, quod de Graecis olim civitatibus dictum constat; quae dum singulae imperare volunt, omnes Imperium perdidere. Dicunt Theutoniam grandem esse Provinciam, opulentam; hominibus, equis,

armisque refertam, natura potentem, regimine imbecillem. Neque falluntur mea quidem sententia. Neque enim arbitror ullam esse nationem tam grandem sub coelo, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis dominus Deus noster. Tantum nos ipsi propitii nobis simus, velimusque vivere, sicut caeterae nationes, capitique nostro honorem deferre, Regi parere, submittere colla justitiae, servare ordinem. Quod si pergimus ita vivere quemadmodum coeptum est; actum de nostra natione dixerim. Venient alieni & auferent nobis regnum & gentem; & qui nolumus nostri sanguinis Imperatori servire, jugum ferre alienum cogemur. Puto vos haec jamdudum animo advertisse, viri nobiles ac potentes, vestramque mentem de reformatione nationis atque Imperii saepe cogitantem esse. Neque ego rem difficilem arbitror, si Caesar cum principibus conveniat. Nam etsi multi sunt ab hoc proposito, alieni vincentur tamen ratione. Neque sinderesi poterunt adversari, quae omnibus est innata hominibus, habens in se virtutis & boni quaerendi semina. Mihi ergo, ut eo redeam unde sum digressus, nullo pacto contra Turchos arma sumenda videntur nisi prius statum Imperii ad suam normam redigamus. Reformare autem Imperium non video quo pacto valeamus, nisi Caesar ascendat ac cum suis principibus de reformanda republica consilia captet. Quod si ordinatum Imperium fuerit, non modo Turchis facile resistemus; sed alias quoque nationes in frena pristina redigemus, ac nomen Theutonicum, quod modo suppressum & vile habetur, in altum efferemus. Probaverunt omnes dicta Joannis. Legati tamen Caesaris illud refellere conati sunt, quod ultimo positum erat, non esse contra Turchos pugnandum, nisi prius Imperium resarciretur. Id enim tempus expetere longius videbatur. Turchis nisi quamprimum obviam itum esset, religionem christianam funditus perire, quam illi armati ac victores summo conatu prosequerentur. Reliqua Joannis verba pleno ore commendant.

Dum haec geruntur, Albertus Marchio Brandeburgensis, qui petiturus adversus Prutenos auxilia in Bohe-

hemiam se contulerat, Magistro Alemanniae scribit hujusmodi conventiones sese cum rege Bohemiae pepigisse. Exercitum Bohemi contra Prutenos ductabunt, equitum quatuor milium, peditum viginti milium: instructi armatique erunt, ut est Bohemis pugnaturis modus, pugnabuntque summo conatu ebdomadis quindecim. Si Prusciam hoc tempore vendicabunt, religioni restituent; si minus, non erunt amplius obnoxii militari aut bellum gerere absque novis pactionibus. Hujus rei causa dabit religio regi Bohemiae, quamprimum exercitus erit instructus, auri Hungarici trecenta millia nummum. Tantundemque postquam Prusciam introierint copiae. Vendicata autem regione quatuor milia quotannis coronae Bohemorum pendebit. Rex vero in aevum protector religionis erit. Rex quoque Poloniae, ne sit impedimento religiosis, quadraginta milia similium nummorum ex ipsis accipiet. Georgius Bohemiae gubernator & harum fabricator rerum, auri Rhenensis octuaginta milia nummum emerebitur. Ea si velint religiosi fratres amplecti, necessarium esse quamprimum scribere: non videri dubium, quin eo pacto superbia civitatum conteratur. Ad rem hanc remissi sunt nonnulli ex fratribus qui cum Marchione profecti fuerant; ipse paululum aegrotans Marchio Pragae aliquot diebus remansit. Magister Alemaniae his cognitis ex legatis principum qui conventum agebant, exclusis oratoribus civitatum quos favere Prutenis opinabatur, consilium petit: Auri maximam esse quae quaeritur summam dicit, neque scire se unde corradi possit. Cardinalis Sancti Petri suo more copiose prudenterque loquutus: Legatos mitti suadet, qui concordiam cum rege Poloniae tractent, quem constaret patrocinari civitatibus. Interea quem possent religiosi exercitum compararent, Marchioni Alberto scriberent tractatus cum Bohemis eo usquam prorogaret, donec ex magistro Prusciae cognosci posset, an aurum expetitum in promptu habeant. Nam ex Alemania, etsi omnes possessiones religionis venundentur, non tamen pactionibus satisfaciant. Ea fere omnium sententia fuit; placuit tamen expectari Marchionem, quem brevi affuturum

torum dicebant; ut ex eo pressius omnia cognoscerentur His actis, cum jam plenum concilium videretur, statuunt legati Caesaris concionem advocare, atque illic Imperatoris mandata referre, & quamvis Nicolao Cardinali antea commisissent, ut is verba faceret; pridie tamen quam conventus celebretur, mutato proposito AEneam dicere jubent, non quod is orator videretur melior, sed quoniam unus ex his esset, qui ex curia Caesaris missi fuerant, quasi plus ponderis apud eos existeret, qui ex latere Caesaris novissime adventassent. Cardinalis enim ex domo sua per literas vocatus concilium adiverat. Gravis ea res AEneae fuit, cui ad meditandum quae proferret una tantum nox intercedebat. Sed fuit praesidio valitudo Ducis Burgundorum, qui febribus ea nocte vexatus, concilio interesse non potuit. Dilata est igitur in aliam diem audientia. Ibi cum omnes adessent, in hunc modum AEneas oravit.

Quamvis omnibus qui adestis, Reverendissimi Patres Illustrissimi & nobilissimi Principes, caeterique viri magnifici ac praestantes, etsi nota est causa vestrae vocationis; in literis enim ad unumquemque transmissis exprimitur; quia tamen res ardua est, & universam christianitatem respicit, ob quam divus Caesar Fridericus Romanorum Imperator in hac urbe celeberrima conventum indixit, ex usu judicarunt esse Reverendissimi ac magni potentes collegae mei sublimitatis Imperatoriae legati causam ipsam quae vos accersendos persuasit in medium vestri amplius explicari, quodque Caesareae menti ad consulendum reipublicae christianae propositum sedeat, in hoc amplissimo auditorio palam fieri: Partes autem dicendi ad me, ut cernitis, delatae sunt, qui etsi pareo non invitus majoribus meis; in hoc tamen negotio, quod est omnium maximum, non ab re alium meo loco suffectum esse voluissem, qui parem rebus potuisset orationem habere. Verum quia turpe est contendere, ubi necesse est obedire, munus mihi demandatum pro mea facultate conabor absolvere. Vos pro vestra mansuetudine ac nobilitate quibus caeteris praestare soletis aures, eas non dicam mihi, sed rerum quas pro-

posam

ponam magnitudini atque ipsi, cujus nomine loquar, Friderico Caesari concedetis. Ego ut quam brevissime res absolvam, oratiunculam meam duas in partes dividam. In prima referentur ex ordine convocati hujus concilii rationes. In secunda commissionis nostrae tenor explicabitur. Ac ne tempus frustra teram, de priori parte succincte transigam.

Duae fuerunt causae quibus impulsus est Caesar hunc conventum indicere. Unam praestitit grandis illa atque insignis contumelia, quam aetate proxime decursa Turchorum ductor Maumethus apud Constantinopolim christiano intulit nomini. Alteram maximus praebuit apparatus, quem ipsi iidem Turchi habere dicuntur, ut christianam gentem funditus perdant. Illa damnum pensitat jam illatum; haec futurum discrimen periculumque metitur. De his est paulo altius conferendum, ut intelligant omnes neque parvam injuriam esse, quam dicimus vindicandam; nec minimum esse periculum quod suademus vestro consilio praecavendum. Circa injuriam autem sicut mihi quidem videtur, nihil est quod pro magnitudine rei satis dici possit. Nos tamen aliquid pro nostro captu in medium afferemus. Quiescebat Graecorum Imperator domi suae apud Constantinopolim, quamvis in fide nostra orthodoxa non satis instructus atque satis fixus; christianus tamen Dei ac domini nostri Jesu pro captu cultor, sanguine nobilis, & virtute clarus. Nulla ei cum Turchis lis erat: ferre potius superbae gentis contumelias, quam inferre cuipiam molestiam in animum induxerat suum: nulli noxius, nulli gravis. Tranquilla suum populum in pace regebat. Sed est in Thracia locus non longe a Constantinopoli, qui apud veteres Bosphoros nomen habuit, ubi magnus ille Hellespontus in angustias coactus, ut nonnulli tradunt, quingentorum passuum hinc Europam inde Asiam disjungit. Hinc olim Darius Rex Persarum ponte facto copias transportavit, hic & Sacellum alioquin fuit Michaelis Arcangeli miraculis innumerabilibus illustratum. In hoc Europae latere, quod ditionis Graecorum erat, Maumethus contra foedus, jusque castellum erigit, quo & suis traiici-

traiicientibus sit praesidio, & naves ex Euxino in Propontidem transeuntes ex arbitrio impediat. Denunciat Imperator novum opus haud quaquam faciundum esse; foedus fidemque commemorat, jus bonumque petit. Ille in proposito perseverans castellum perficit, exin magnis copiis terra marique congregatis, Imperatori bellum indicit, Constantinopolim obsidet, machinas admovet, muros quatit, urbem vehementer oppugnat, capit, diripit, Constantinus illic Imperator occumbit. Mira Dei judicia & arcana consilia! sub eo nomine Graecorum extinguitur Imperium, sub quo sumpsit exordium. In ipso ingressu mille ferme hominum occiduntur; fit deinde per urbem major caedes, nobilitas omnis extinguitur, sacerdotes in ore gladii pereunt. Virgines ac matronae ea perpetiuntur quae sunt libita victoribus. Filii in amplexu parentum enecantur, infinitus animarum numerus in captivitatem ac perpetuam servitutem arripitur, miseram ac lacrymabilem urbis fortunam omnia plena rapinis, flammis, libidinibus, cruore, cadaveribus vidissetis. Templa divino dicata nomini nefandis profanantur modis, stabula, ac, proh pudor! lupanaria fiunt. Effigies magni Dei, matrisque, praecursorisque, beatorumque omnium delentur Reliquiae Martyrum & aliorum Sanctorum jam cum Christo regnantium, quae fuerunt illis in templis pretiosissimae porcis ac canibus obiiciuntur. Simulachrum ipsum Crucifixi praeviis tympanis in castra deducitur; pro ludo hinc atque inde rapitur, conspuitur, luto provolvitur. Parva ne ista videntur & non dolenda flagitia? Quis talia fando temperet a lacrymis? horresco talia referens. O maximam atque intollerabilem ignominiam christianae gentis! Et cujus est, obsecro, pectus christiani hominis, quod haec audiens non commoveatur? non incendatur? non ferveat ira? Quis est oculus fidelis hominis qui non gemat? Amissa enim civitas nobilissima & amplissima, quam quondam Constantinus primus ejus nominis Imperator, jussu domini Salvatoris sibi per quietem apparentis, ad aemulationem Romanae urbis erexit: quae licet saepe civilibus bellis ac barbaricis incursionibus vastata fuerit,

aun-

nunquam tamen extra manum christianorum nisi modo traducta est. Hic orientalis Imperii solium; hic patriarchalis sedes longo tempore floruit; hic grande illud & memorabile concilium celebratum est, in quo Dioscorus & Eutiches prava de Salvatore sentientes & praedicantes condemnati & in exilium missi sunt. Hic sacratissimae leges quae constringunt hominum vitas, cum essent antea confusae atque obscurissimae, per Justinianum Caesarem ad compendium claritatemque sunt redactae. Hic oratoria, hic philosophia & omnium bonarum artium studia, postquam consenuerunt & extinctae sunt Athenae, unicum domicilium, & certissimum templum habuere. Hinc si qua est hodie apud nostros eloquentia manavit. Sed hanc urbem, adeo memorabilem, adeo gloriosam, Turchi nostra tempestate nulla injuria lacessiti bello invadentes ex christianorum manibus abstulerunt, sanguinem innoxium fuderunt, bibliothecas & libros rerum memorabilium incenderunt, Sanctorum loca foedarunt, & opprobria in Christum Deum, quae referre horreo, protulerunt. Haec Caesarem nostrum vehementer urgent, & angunt; digna haec scelera suae majestati videntur, digna flagitia quae vindicemus: Minime ille tantam injuriam, tam insignem contumeliam inultam existimat relinquendam. Neque enim solis hic graecis illusum est, sed omnis christianitas enormiter laesa est atque contempta. Neque mortales tantum: sed ipsi superi immortales derisi ac provocati sunt. Deus noster indicibili more spretus. Quod si nos pro levibus damnis, pro rusticis nostris modica injuria lacessitis arma sumimus, & ingentibus nos periculis objectamus; quid hic agendum erit ubi tota christianitas laesa est? Et ipse Deus quem colimus e suis ejectus sedibus? An non aequum est vitam illi offerre, qui dedit? qui pro nobis in ara Crucis voluit immolari? Ingratum genus hominum si ei corpus nostrum tradere negamus, qui nobis corpus & spiritum & animam elargitus est. Sed neque injuriae vindicandae ratio dumtaxat Caesarem movet, quae sane maxima est. Instare periculum grande videt, existimatque cavendum ne injuria injuriam pariat: Habet

 jam

jam sibi subjectam Maumethus Constantinopolim; illic portus est amplissimus & statio benefida carinis, quae non modo unam aut alias naves, sed infinitas pene classes capere possit. Neque toto mediterraneo mari situs est ad infestandum omne pelagus magis aptus. Jacet enim Constantinopolis supra Propontidem, itaut neque ex ponto Euxino, quem mare majus hodie vocant, in pelagus Euboicum Jonium ac Creticum, quae maria unum videri quaeunt, nunc quod archipelagus appellatur, neque versa vice ex hoc in illud invitis Turchis transitus esse possit. Sunt enim angustiae per Bosphorum Thraciae ac per Hellespontum, quod brachium sancti Georgii vulgus dictitat, in potestate Turchorum; nec jam mercimonia ex Thanai, prohibentibus Turchis, ad nos deferri queunt. Facultas nunc illis est in portu Constantinopolis classem parare, quae cunctas insulas archipelagi vastatum eat, quarum jam plerasque captas atque direptas memorant. Maumethus autem, ut certo affirmant qui ejus mores vitamque norunt, quique illis ex regionibus ad nos veniunt, auctus animo, nequaquam se otio atque inertiae tradit; sed proximam quamque victoriam veluti sequentis instrumentum ducit: exercitus copiosos, classesque potentissimas extruit, eo proposito ut amplius christianitatem lacessat. Neque aliud dies noctesque meditatur, quam Christianum nomen funditus eradicare, atque extinguere memoriam Jesu Domini nostri. Nec mirum si tumescit atque insanit illius animus, cum patris sui, ac suas victorias mente revolvit. Genitor ejus Amurathes paucis ante annis bis christianorum prostravit exercitus non parvos neque contemnendos. Uladislaum Poloniae regem nobilissimum adolescentem, Julianumque sancti Angeli Cardinalem apostolicae sedis legatum, virum sui temporis excellentissimum ad necem compulit. Hic vero de Constantinopolitana victoria & Imperatore Graecorum caeso gloriosus majorem se jactitat patre; & quoniam falsi & mendosissimi prophetae Maumethi, qui sectam ampliavit atque roboravit, Agarenorum nomen gerit, incredibili torquetur siti christiani nominis extinguendi.

Cum-

Cumque Patriarchalibus ex sedibus illis quatuor, super quibus veluti solidissimis basibus christiana subnixa fides in totum olim orbem palmites suos extendit, jam tres obtineant Agareni, Alexandrinam, Antiochenam, & Constantinopolitanam; nullo jam dubio tenetur quod & Romanam nobis eripiat. Usurpare quoque inter familiares sermones haec verba solet. Cur ego non totum mihi occidentem armis subiiciam, qui sum Asiae, Thraciae, ac Macedoniae, atque totius Graeciae dominus, quando Alexander Philippi filius, cum soli Macedoniae dominaretur, ausus est cum duobus & triginta millibus militum orientem invadere, & usque ad Indiam penetrare? Comparat se Julio Caesari, Annibali Poeno, Pyrro Epyrotae ac caeteris illustribus viris, praestareque se omnibus asserit. Copias sese ait innumeras armare, atque in praelium ducere posse. Neque hic mentitur. Manifestum enim est, ducenta & amplius millia pugnatorum in bellum ab eo educi posse. Quod si Tartarus junctus fuerit, ut legatus regis Poloniae refert, & Hungariae Gubernator affirmat, exercitum pene innumerabilem conflare valebit. Sed quid ego in re notissima moror? Progenitores hujus Maumethi, cum nihil citra mare possiderent, maximos saepe populos in Europam trajecere. Quid modo is faciat, qui usque ad Hungariae metas, & usque ad Dalmaciam protendit Imperium? Non est spernendus hic hostis, cui & potentia ingens est, & animus ad bella paratus: qui juvenis est, & laudis amans, & sanguine bulliens. Cui naturali quodam odio ex insita & innata malignitate atque crudelitate Christianos persequi propositum est, qui multos habet apostatas nostri generis, ad audendum provocantes, ex quibus omnia consilia nostra cognoscit, qui nobis vicinus est & aditum habet, sive in Italiam, sive in Germaniam non difficilem per loca propinqua Dalmaciae atque Croatiae. Nam & Albam & Bosnenses magna ex parte in ejus sese clientelam dedere. An putandum est quieturum hominem victoria functum, quem tot invitant ad insequendum commoditates? Qui norunt hominem & consilia sua perscrutati sunt, haud dubium censent, quod anno

proximo magno impetu in christianos ruat, atque omni conatu vicinos opprimere pergat Ob has igitur causas indictum est hujusicemodi concilium. De vindicanda injuria: de vitandis amplioribus malis captanda consilia sunt. Optavit Caesar ad hunc locum se conferre; sed compulsus ex causis saepe relatis pro tutela suarum provinciarum domi manere, direxit huc hos patres atque proceres insignes, meque cum eis, qui vices suas geremus. Mandatum nostrum nudiustertius cum legeretur audistis; quae Caesar in hac re potuisset, eadem quoque & nos possumus, si modo vestrae mentes ad tuendam vindicandamque christianam religionem erectae sunt.

Intelligitis quae fuerint convocationis vestrae rationes. Nunc quae sit nostra commissio paucis expediam. Id est enim quod secundo loco dicturum me promisi. Munus nostrum hoc potissimum est, requisitas atque commonitas facere vestras excellentias, ne quo pacto hinc abeatis, priusquam conclusionem unanimem recipiatis, per quam, non modo defendi quae superat christianitas, sed & vendicari possit, quae in hostium potestate consistit. Id autem quo pacto quoque ordine faciundum sit, non est nobis certo limite demandatum. Sed jussi sumus audire consilia vestra, opiniones vestras agnoscere, gravia & illuminatissima sequi judicia vestra, discutere vobiscum quae opportuna, quaeque necessaria videantur, & in communi quae meliora visa fuerint amplecti atque concludere. Ipse autem divus Fredericus, tanquam Romanorum Imperator, tanquam advocatus & protector Ecclesiae, tanquam princeps religiosissimus cui cordi est catholica & orthodoxa fides christiana, suam operam suasque vires & omne patrimonium suum in medium offert. Voluntarium quoque & promptum paratumque se dicit, quantum in ejus potestate fuerit, cuncta executioni mandare quae in hac conventione pro tutela christiani nominis, pro augmento fidei Catholicae, pro honore Romani Imperii, pro gloria Germanicae nationis quoquomodo deliberata conclusaque fuerint. Illud nihilo minus, vel sine consilio necessarium Caesar existimat,

mat, atque in medium suadet, ut divinum auxilium imprimis devotissime imploretur, ut fiant opera digna misericordia ac clementia Dei. Nam quemadmodum peccatis & iniquitatibus nostris offensa divina majestas christianam gentem succumbere atque affligi sinit, ita piis actibus & orationibus placata, suum tuebitur populum, praebebitque veniam omnipotens & misericors Deus, sine cujus nutu nihil est quod humana potestas valeat explicare. Exhortatur igitur Imperatoria sublimitas RR. Ecclesiarum Pontifices caeterosque praelatos, ut commissos sibi populos ad opera pietatis invitent, atque ipsi per sese cum clero sibi subjecto immaculatas hostias pro peccatis offerant populorum. Vos autem, magnanimi proceres, Duces, Marchiones, Equites, quos non minus alti cordis quam clari sanguinis crediderim commonitos efficit caesarea majestas, ne Constantinopolitanam cladem dumtaxat, quae recens est & supra modum dolenda, sed vetusta quoque vulnera, & jam vix curabilia, ante mentis oculos revocetis, cogitetisque quomodo Deus coeli * Hierosolimam terram suam, in qua visus est, & annis supra xxx. homo cum hominibus conversatus; suam utique, quam illustravit miraculis, quam proprio sanguine dedicavit, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt. En terram sanctam, terram benedictam, terram lacte & melle fluentem, officinamque nostrae salutis osores occupant vivificae crucis. Sacrosanctam civitatem nostri possident hostes, pia & sacratissima loca agni immaculati purpurata cruore, sceleratissimi calcant pedes. Advertite, obsecro, viri fortes, en quantum dedecus hoc nostrum est; quod ipsum religionis nostrae sacrarium lectumque illum pretiosissimum in quo propter nos vita nostra obdormivit in Domino, nisi Saracenis ostendentibus, videre nequimus. Nam illi quaestus causa sepulchrum Domini servant illaesum. Itane servos crucis nos esse fatemur, & sanctum canibus, margaritasque porcis dimittimus? Non est Baptismatis unda renatus, non est verus Christicola, qui haec sine dolore, sine lacrymis audit. En quo redacta est nostra religio! proh quantum Mahumeti perfidia cre-

Deest hic aliquid.

crevit, dum nos domi sedemus neque vicinis quid accidit advertimus. Cornua intumescunt hostium, lotiosque nostrae fidei prosternunt, terramque nostram longe lateque sibi subiiciunt. Antiochia, in qua primo auditum est christianum nomen, a Deo nostro facta est aliena; neque sancti quidquam habent. Plena spurcitiarum est Alexandria, in qua tot clarissimi ac sanctissimi viri divinum evangelium praedicarunt ac magnificarunt. Nunc Maumethi fabulas audit: nihil est in Asia, nihil in Africa nostrum. Europae maximam partem amisimus; in angulum nos Maumethus coarctavit: hinc Hungaros; inde Hispanos premit. Evigilare jam tempus est, fuisseque plurimos ante annos, & antequam haec vulnera nobis infligerentur, antequam hostis tantum virium accepisset. Immortalis Deus omnia potest; sed non plus vult de nobis, quam nostri parentes; at parentes, si pergunt liberi errare, bonis exhaeredant: quid ergo nos ab optimo Deo nostro amplius expectemus, nisi malis actionibus finem facimus? Verberati sumus propter delicta nostra. Nunc si mentem bonam recipimus & animum fortem, miserebitur nostri Deus noster. Si poenitentiam egerimus de malis nostris, aget & ipse poenitentiam super malum, quod cogitavit ut faceret nobis. Virtutem immortalis Deus approbare, non adhibere solet. Excitare alter alterum debemus, surgere atque occurrere hostibus priusquam fines nostros, quos nunc habemus, ingrediantur, ne nos in cubilibus nostris oscitantes ac somnolentos inveniant, nobisque gentem & locum auferant. Hora est jam, principes, arma sumere, atque inimicos crucis in suis laribus quaerere, bellum fortibus animis & unitis viribus gerere. Certa est in manibus nostris victoria, si modo pura mente ob Dei honorem salutemque populi christiani praelium inchoemus; emendataeque mentes nostrae, non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi quaerant. Etenim quamvis est ille, ut ante dixi, ferocissimus & potentissimus hostis, non tamen par est Germanicis viribus, neque Theutonico nomine comparandus. Non est cur formidetis, proceres, si unanimes bellum amplectimini; neque enim homines,

aut

aut equi, aut arma, aut currus, aut naves vobis desunt. Sed omnia haec vobis quam illi meliora supersunt. Quod si majorum nostrorum gesta memoriae repetamus, neque terrestri, neque maritimo bello pares unquam fuisse Turchos progenitoribus vestris invenietis, quando concordibus animis adversus eos est itum. Possem referre Caroli magni, Conradi tertii, Friderici primi, ac secundi Romanorum Imperatorum, Gotfridi quoque Lotharingiae Ducis ingentes quas de Turchis deque caeteris infidelibus victorias habuere. Sed parco defessis auribus vestris; unum dico, nunquam generale passagium contra hostes nostrae religionis institutum traditur, quin nostri triumphaverint; nisi fortasse cum fames, aut pestilentia, aut discordia nostros afflixit. Manifestum est igitur nostram esse victoriam, si abdicatis causis, quae nobis Deum iratum faciunt, pro Christi nomine bellum suscipiamus. Sumite igitur clarissimi proceres fortes animos. Nolite hinc prius abire, quam gerendum adversus Turchos bellum decernatis. Nolite rem tantam ac tam necessariam in tempus aliud proferre, ne dum vos de bello gerendo deliberatis, hostis jam castra tenens, id faciat, quod vos facturos spem gerimus. Etenim quis non intelligit magnum christianitati instare discrimen, si hoc concilium rebus infectis dissolvatur? Habet adversarius noster exploratores, non latent eum consilia vestra. Tanto ferocior erit, quanto cognoverit vos magis desides. Christiani qui vicini sunt Turchis, ubi de vestris auxiliis desperaverint, in leges Turchorum ibunt. Sic Trapezuntios, Georgianos, Rascianos, Albanos, Bulgaros facile amittemus. Caramannus, qui auxilia contra Turchos pollicetur, quamvis est ejus perfidiae comes, ubi negligentes christianos acceperit, & ipse sibi consulet. Hungari, qui sicut admodum & annis pluribus suum effundendo sanguinem tutati sunt nostrum, inducias cum Turchis habent non longo tempore duraturas. Quod si audiant dissolutum esse sine fructu conventum, novis se pactionibus obligabunt, neque cum voluerimus, eorum uti consiliis dabitur. Neque hic rem dubiam proferimus. Joannes Huniat, comes Bistricensis, qui rem Hun-

Hungariae gubernat, vir alti consilii, Turchorum metus, christianorum spes, hoc ipsum novissime Caesari nostro significavit per oratores qui ad se missi fuerant. Ait enim Turchorum principem grandes belli apparatus facere, Tartarorum gentem foedere junctam habere, personam ejus esse in Adrinopoli, exercitus in Sophia apud Bulgaros congregari, ibique duces belli convenisse. Hungaros autem nihil magis optare quam Turchorum conatus infringere; se quoque sumpturum arma, pugnaturumque totis viribus, si Theutones caeterique christiani concurrant. At si nostrae religionis principes torpeant, neque velle, neque posse Hungaros tantam belli molem subire, sed accepturos conditiones, quas Turchi offerant; daturos transitum qui ab illis petitur; quod an sit in rem Christianorum ipsi reges Christiani viderint. Sic Hungari regno suo consulere proponunt. Quid Venetos? Quid & Genuenses facturos arbitramini? Nemo est qui non sibi quam alteri melius velit; omnes de suo statu solliciti sunt. Rex autem Franciae Christianissimus, majorum suorum vestigia premens, teste Reverendissimo Cardinali, summo Pontifici literas dedit, * qu bus sese arma sumpturum pollicetur, si Germanos indixisse Turchis bellum cognoverit. Quod si vos nihil agitis, deserta christianitas erit; nemo illam tuebitur: exterminabit eam aper de silva & singularis ferus depascetur eam, vosque tanti mali causam praestabitis, si convenientes in hoc loco ad

* *In Codice Felini ejusdem Felini manu haec ad marginem adscripta leguntur*: Vel sic: per quas se cum Germanica natione ad defensionem fidei concursurum pollicetur. Cujus consilium procul dubio plurimum impediretur, si praesens congregatio (quod absit) sine expectata conclusione dissolveretur. Vestrae igitur excellentiae & circumspectiones, quibus offensa fides molesta est, quod opportunum & melius fuerit consilium amplectentur, atque operam dabunt, ne tantus & tam altus princeps, qualis est illustrissimus Dux Burgundiae, de remotissimis partibus, non sine laboribus ac periculis pro salutis ac devotionis Christianae rebus ad vestros lares vocatu Caesaris, frustra venerit; sed ipse potius, &c.

ad consulendum reipublicae Christianae infectis negociis, abieritis. Sunt enim omnium oculi in vos conversi: vosque veluti rectores Christiani populi omnes intuentur. Si audetis, omnium erigentur animi. Si torpetis, actum est de nostra religione, Turchorum ferre Imperium Mahumetique parere legibus oportebit. Agite igitur, consulite in medium proceres; nolite matrem vestram Ecclesiam desertam relinquere. Cogitate quo pacto Turchorum rabiem elidatis; non erit hoc difficile si concordes estis. Ecce divino nutu & ad nostrum tutamentum lites Italiae compositae sunt. Facile jam summus apostolicae sedis praesul ac praestantissimus ille rex Aragonum, cum Venetis, Genuensibus & aliis Italiae populis ac principibus adversus Turchos classem maritimam apparabunt. Quod si vos terrestrem exercitum armaveritis, terra simul ac mari uno tempore superbissimus hostis invasus, adjutore Altissimo, nostris ex finibus propulsabitur. Haec sunt quae pro commissione nostra secundo & ultimo loco de mente Caesaris dicenda fuerunt. Vos igitur, quibus curae est orthodoxa religio nostra, quique bonum commune christianae plebis exoptatis, operam dabitis ne hoc concilium ex quo spes omnium Christianorum pendet absque salubri conclusione dissipetur. Neve tantus & tam altus princeps, quantus est Burgundiae Dux, de remotissimis regionibus vocatu Caesaris ad vestros lares frustra venerit; sed & ipse potius ad propria laetus jucundusque redeat, & omnes qui spem habent in vobis sui voti compotes fiant.

Hanc orationem cum verbis Latinis pronunciasset AEneas, factumque esset mirum silentium, assurgens Ulricus Episcopus Gurcensis eandem in sermonem Theutonicum convertit, nequis ex circumstantibus mentem Caesaris ignoraret. Post eum Cardinalis Sancti Petri, quoniam fuerat & ipse nonnunquam apud Constantinopolim, Graeciamque pene omnem lustraverat, multa de situ amissae urbis, de moribus gentium, de potentia Turchorum, de modo gerendi belli graviter & copiose disseruit; & quamvis Graecos digna supplicia passos asseruerit, qui Romanam Ecclesiam sequi noluissent, unio-

nemque simulatam cum fraude fecissent; Christianos tamen magnopere adhortatus est, ut injuriam Salvatoris ulciscerentur. Ex hinc Joannes Episcopus Papiensis, legatus apostolicus, orationem habuit cum multa venustate ac luce munditiaque verborum. Ejus orationis sensus fuit. Diabolum ab initio saeculi veritatem odisse, divisiones, errores, schismata confovisse, haereses adversus veritatis lucem innumerabiles excitasse, quarum pestilentissimam & omnium nefandissimam Mahumeti sectam esse comprobavit, quae quantum aucta dilatataque sit, omnes nossent. Commemoravit mala quae Saraceni Turchique, patrum nostrorum memoria, perpetrassent. Deinde veniens ad tempora nostra Constantinopolitanam cladem ante oculos posuit, ostendens quanta impendunt religioni nostrae pericula, nisi furentibus Turchis obviam eatur. Romanum Pontificem de tutanda christianitate sollicitum, multa & magna meditatum dixit; se quomodo ab eo missum primo ad Caesarem, deinde ad regem Hungariae atque ad ipsos regni Barones qui mentes ad succurrendum reipublicae Christianae concitaret atque incenderet; commemorans orationum capita singularum, quas illos apud principes habuisset. Postremo adhortatus est omnes, qui aderant, arma contra Turchos, uti sumerent, habituri ex apostolico throno quaecunque ad id negocii necessaria ducerent. Cujus verba Joannes de Lysura in sonum Theutonicum transtulit, non sine attentione ac gratia auditorii. Mira res! saepe vili ex loco grandia lumina surgunt. Verum est quod ille ait: Summos posse viros, ac magna exempla daturos, vervecum in patria crassoque sub aere nasci. Cusa & Lysura in Treveris villulae sunt, haud multo inter se distantes, pauperes, & nullius antea nominis; sed alteram illustravit Nicolaus Cardinalis Sancti Petri, illinc oriundus; alteram Joannes, de quo sermo est, qui cum ex Senense gymnasio devolasset apud electores Imperii, totamque Germaniam, non doctrinae solum sed prudentiae quoque temporalis opinionem singularis luminis obtinuit. Creverunt ambo, ita ut in omnibus Theutoniae concionibus primi viderentur, atque aurigae re-

rectoresque populi dicerentur; quoniam praeter sapientiam & scientiam literarum, innata quadam eloquentia cunctos excellerent. Sed nulla sine invidia virtus eminet, murmuri subjacet alta probitas. Hinc ab aemulis ortum proverbium est: *Cusa & Lysura pervertunt omnia jura*; quod tunc dictitatum est, cum Pontifex Eugenius quartus Basiliensi Concilio esset infestus. Nam hi duo adversus elevantem se nimis Synodum praecipui bellatores habiti sunt.

Postquam loquuti sunt omnes quae voluerunt, visum est sibi, ut quisque tempus deliberandi sumeret, atque in alteram diem quae meditatus esset, afferret in medium. Interea Graeculus quidam inflatus opinione sui Ratisponam petit, dicitque se cum Caesare apud novam Civitatem fuisse, qui se consiliarium suum comitemque creaverit. Accedensque praesidentes aperiturum se nodos ait quibus Turchi sine magno negotio deleantur. At jussus dicere, quaerit ex praesidentibus quam possint in armis habere militiam Theutones, quemque ordinem servaturi sunt. Tum illi, exploratorem rati, capere hominem atque in vincula recipere cogitant; fecissentque, nisi prohibuisset AEneas, qui literas Caesaris minime violandas ait, quas Graeculus publicae securitatis apud se habuit. Hic tamen paulo post cum venisset in Sveviam ad Albertum Austriae Ducem, Graecumque alium ibi reperisset, qui se germanum Constantini Graecorum Imperatoris novissime occisi diceret, cum illo una detectus est. Redierant jam legati Burgundiae Ducis ex Bohemia, Vilhelmus Tullensis Episcopus & alii plerique nobiles & docti viri, qui multa de rege Ladislao cum laude referebant, eumque supra aetatem miro modo sapientem & religioni deditum afferebant. Qui quamvis esset undique septus Hussitis, atque ab his hominibus gubernaretur qui ritum quendam habent apostolicae sedi contrarium, de communione calicis inter laicos non tamen se pollui permisit. Fugit Ecclesias illorum, & quasi pestem abominatus est Rochezanae sermones Est enim Joannes Rochezana princeps eorum, qui sub duplici specie communicandum censent, Roma-

namque contempnunt Ecclesiam. Inter alia vero duo memoratu digna relata sunt, quae nos ab ipsis Burgundorum oratoribus audivimus. Ajebant enim Rochezanam, cum processionem cleri populique agitaret, sacratissimum Eucharistiae Sacramentum ante regias aedes detulisse; regem ex fenestra in plateam conspexisse, neque inclinasse caput, neque cervicem inflexisse, nullumque reverentiae signum ostendisse; ejus exinde exemplum caeteros adolescentulos, qui cum eo erant, sequutos. Interrogatum autem quid nam id egisset, correptumque, Salvatorem quia minime honorasset; respondisse se non ignorare corpus Dominicum veneratu quocumque dignissimum esse; sed cum Rochezana eius portitor esset, verae religionis hostis, veritum se, si honorem Sacramento impendisset, ne stultus populus honoratum quoque sacerdotem existimaret, atque illius opinioni regem accedere, quam detestaretur.

Alio autem tempore, non multis post diebus, jussit Ladislaus sacerdotem suum in quadam Capella palatio suo proxima rem divinam facere; is dum parere vult, a presbitero, qui capellam regebat, excluditur, dicente se velle missam celebrare; posse Regem, si velit, se audire videreque celebrantem; atque id non minus esse regiae majestati, quam si capellanum proprium audiat. Erat hic praesbiter auditor Rochezanae, sectator opinionum suarum. Haec ubi rex intelligit, Marescallum ocius ire jubet, sacerdotique dicere regio Capellano cedat; nisi pareat, praecipitem agat ex rupe quae proxima Capellae imminet. Territus hoc nuntio praesbiter irae locum dedit. Haec illi de Rege Bohemiae nobilissimo puero cum laetitia & singulari audientium gaudio affirmabant. Inter haec Albertus Marchio Brandeburgensis, grande lumen Theutonici nominis, ex Praga revertitur. Congregantur in praetorium proceres, consilia pro tuenda religione quaeruntur. Legati Caesaris, etsi multum ac saepe rogatos principes fecerint, ut quae sentirent in medio proponerent; postquam tamen omnibus audire Caesaris sententiam placet, aliquantisper inter se deliberant, & quae sibi ex usu videntur in

scri-

fcripturam redigunt, concionique fchedulam hujufcemodi præbent, eamque dicunt Caefaris effe mentem. Ex his, quae nuper hoc in loco dicta fuerunt, intelleximus plane omnes, fi rempublicam chriftianam adverfus inimicos faluiferae crucis praeftare volumus, neceffarium effe cogi exercitum, qui menfe Aprili proximo magnus ac bene inftructus in Turchos proruat; aequumque Caefar exiftimat omnes fideles principes, maxime autem qui fub imperio degunt, exemplum fequi fuum. Nam is ad omnia fefe offert, quae pro defenfione chriftianae religionis neceffaria videantur. Sigillatim vero quae fuae majeftati e republica videantur inferius annotata funt. Veftro tamen & aliorum, qui ad hoc fanctum negotium concurrere voluerint, excutienda, & digerenda judicio; atque imprimis, exercitus triennio duraturus adeo fortis ac numerofus paratus efto, ut nedum refifteret Turchorum conatibus, fed ipfos ultro laceffere ac Europa depellere queat: alimenta & ftipendia militum in annum priufquam exercitus iter arripiat; tum durante primo expeditionis anno, in fecundum, & fecundo in tertium procurata apparataque funto. Dux exercitus unus vexillum crucis & aquilas Imperii facri victrices ferto, Exercitum Alemania vicinufque populus Imperio Romano parens hoc ordine convocato.

Triginta viri, equitem unum, rurfufque LX. pedites duos armis inftructos ac bello idoneos fuo fumptu in exercitum mittunto. Hoc pacto credibile eft ducenta milia pugnatorum cogi poffe. Quod fi facta fupputatione minor emerferit numerus fic taxanto viros, fententia uti haec impleatur. Inftrumenta bellica ac machinas neceffarias principes & civitates Imperii pro facultatibus adminiftranto, & quantum poffint fuo fcripto docento. Tres viri locis opportunis in Alemania funto rei militaris periti qui per fefe aliofve quos delegerint milites idoneos admittunto: ineptos repellunto. Sex viri, tres ecclefiaftici, trefque faeculares locis in Alemania convenientibus annonae ac ftipendii militaris curam habento; horum quoque officium efto inter provinciales onera mittendi, militis ac ftipendii dandi ita partiri ut,

pro

pro facultate cujusque aequa distributio fiat. Sanctissimus Romanae Urbis praesul classem adversus Turchos mense Aprili proximo in AEgeo mari instructam habeto; Turchiam ex Metelino Insula inquietam reddito. Alphonsi Aragonum ac Siciliae regis simulque Venetorum & Genuensium vires ad eam rem advocato. Caramannum Saracenum contra Turchos provocato. Imperatorem Trapesundarum, Hybereorum regem, Albanos, Bulgaros, Ragusinos atque universos Dalmatas sub eodem tempore arma corripere atque invadere hostes exhortato. Hungari & Bohemi exercitum simul cogunto, atque unum corpus cum Theutonibus efficiunto. Utque milites & instrumenta bellica, itemque victui necessaria commodius evehantur, copias contra Turchos ea in parte collocanto, qua sunt Danubio propiores. Ut autem in hoc opere sanctissimo pax & unitas animorum stabilior habeatur, contentiones ac lites tota Germania facessant, ex festo nativitatis Dominicae, quod primo instat, ad quinquennium inde sequuturum, inter omnes qui bello diffident induciae sunto: Si quis medio tempore via facta quenquam molestaverit, Imperiali banno subjaceto, atque ubicumque terrarum sub imperio compertus fuerit, tanquam contemptor offensorque majestatis poenam expectato. Idem timeto qui eum receptaverit, sive conductum ei dederit. Actio super debitis tempore profectionis jam contractis adversus eum qui hoc in exercitu militaverit expeditione durante, in annumque post haec, nulla esto, nisi aut profugerit, aut ignominiae causa missus quis fuerit. Bona & familiae militum, qui in haec expeditione fuerint, toto quinquennio libera sub protectione Imperii sunto. Haec legati qui adsunt suis dominis referunto. Concilium dehinc alterum ad festum Sancti Michaelis proximum, si Caesar adesse voluerit, Norimbergae, si minus Francfordiae indictum esto. In eo principes civitatesque super hujuscemodi rebus quid gerant animi significanto. Caesar interea temporis, si concilium adire voluerit, notum facito: si nihil intimaverit, apud Francfordiam conventus locum habento. Apocrisarii Caesaris illuc cum plena pote-

potestate veniunto. Ut autem tanto citius atque facilius hostes fidei nostrae christianis ex finibus propulsentur, quanto majoribus ac magis unitis viribus in eos itum fuerit, Reges ac principes in Christo fideles Romanus Pontifex, ut ad haec concurrant, simulque Imperator roganto. Ea cum audissent principes ac legati, qui praesentes fuere, articulorum qui lecti erant fieri sibi copiam petiverunt, qua concessa, & deliberandi tempus impetravere.

Philippus interea dux Burgundiae, qui prius lentis febribus tenebatur, gravius aegrotare coepit, non sine timore, ac pene disperatione suorum; cum sanguis ejus minueretur, cruor viridis lividusque simul niger effectus est. Caput ejus doloribus assidue torqueri, manus ac pedes tremere, nullum membrum suum satis officium facere. Quod cum AEneas accepisset, sciscitatus est ex caris Philippi quotus illi principi jam vitae annus instaret? Quibus tertium & sexagesimum annum agere illum dicentibus: nil mirum, inquit, si vestrum principem morbus habet. Observatum enim multa hominum memoria scribit Gellius, expertumque esse senioribus plerisque hominibus sexagesimum ac tertium vitae annum cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbique gravioris, aut vitae interitu: aut animi aegritudinis. Augustus quoque in Epistolis ad Cajum laetatus est se tertium & sexagesimum annum evasisse. Alphonsus rex Aragonum hoc temporis agens ulcus in genu dolorosum ac pene exitiale sustinuit. Mater mea Victoria, ut parva magnis aequem, huc aetatis provecta, vicina morti fuit. Tenet natura suum morem; sed confidite, naturae Dominus Deus est, cujus hic modo causam gerit; evadet periculum princeps vester. Albertus Marchio Brandeburgensis inter haec multa cum Prutenis religiosis agitat, conventaque cum Bohemis recipi suadere nititur, nam eam esse unicam viam qua vindicari Prussia possit. Nec mirum videri debere magnam experi pecuniam, ubi magna auxilia promittuntur; homo eloquens & auctoritate praeditus, facile omnes in suam sententiam trahit. Religiosi, vel inviti, Marchionis

nis sequi consilium statuunt. At dum quaerunt aurum, neque inveniunt, ex proposito excidunt; rursusque consilia legatorum Caesaris & aliorum quaerunt: fit conventio in praetorio civitatis; ibi cum exposita essent ea super quibus consulendum videbatur, eques quidam Franco, homo minime malus: nescio, inquit, qui natura homines Theutones sumus, juris certe nostri atque communis boni desertores sumus: omnes quae sua sunt quaerunt: nos regni fines ac jura negligimus. Gallici pro jure coronae suae pugnant; Anglici mori malunt, quam de coronae debito quidquam dimittant. Hungari bellum assiduum pro corona gerunt. Bohemi cum Saxonibus de limitibus coronae litigant. Poloni ad coronam suam spectare Prusciam dicunt; & quid nos desides de corona nostra dicimus? Et quae, oro, corona est cujus vel majora vel digniora sint jura? Nemo coronae nostrae curam gerit? Corona excellens est, sublimis est; sed nemo eam respicit, indefensa, desertaque manet. Tum Gurcensis Episcopus: mirare, inquit, ut video, vir bone, non esse, qui coronam nostram tueatur. Tacite quod illa cingit caput accusas, quasi elingue, mutumque sit. Desine, obsecro, mirari, non est capiti nostro quod manducet. Caeteri reges ditem cameram habent; hinc jura coronae tuentur. Camera nostra inops nihil regi nostro praebet: age deinde; qui sunt jura coronae nostrae occupantes nisi nostri? Si velit Imperator jura coronae vendicare, suos primum principes in jus vocare cogetur: quod quam tutum sit, ipse nosti.

Vix ea finierat, cum: recte, ait Nicolaus Cardinalis Sancti Petri, sermo institutus est: licet dolere, licet flere nostrae nationis statum; nescimus more hominum vivere, neque caput nostrum in honore habemus. Inde cum eo perimus omnes; tangit nos illa quam ferunt fabula; aegre fuit aliquando manibus ac pedibus, quod sese laborantibus stomachus omnia consumeret eorum parta labore: statuerunt cessare, ac nihil ori porrigere? At cessante nutrimento defecere corporis vires; neque pedibus, neque manibus vigor inerat. Cognoverunt igitur

tur errorem suum, atque cum stomacho in gratiam redeuntes, quae illi necessaria erant administrarunt. At nos multo insulsiores sumus, qui etsi videmus statum nos nostrum in dies deficere, regi tamen nostro, qui stomachi loco est, nihil praebemus. Quod si pergimus hoc modo, actum est de natione nostra, omnes in circuitu nationes nos invadent, erimusque cunctis in derisum & subsannationem. Ibi & Joannes Lysura & caeteri multa loquuti sunt, quae ad reformandum Imperium ex usu putaverunt: omnium vero ea sententia fuit; non posse stare rem Theutonicam, nisi capiti consulerent. Post haec rursus de Prutenis agitatum est. Cumque religiosi negarent se posse argentum invenire, quod Bohemis darent, ad sententiam legatorum Caesaris reventum est, qui tractatus amicabiles inceptari suadebant. Cardinalis Sancti Petri rogatus hanc provinciam suscipere; prohibitos Cardinales ait injussu Romani praesulis cujusvis hominis legationem gerere, neque proficisci quopiam absque dominicae signo crucis. Quod autem vocatu Caesaris Ratisponam petivisset, id actum esse ex Nicolai Pontificis jussione. Diu ventilata res est, nunc hoc, nunc illud concioni videri melius; nusquam tamen pedem figere neque finem invenire disputationum. Tum Senensis Episcopus: si mihi auscultatis duos pluresve nomine vestro legatos ad regem Bohemiae transmittatis, qui novitatem Prutenicam huic conventioni molestam damnosamqne reipublicae christianae visam fuisse dicant, rogentque consiliarios suos ad regem Poloniae una dirigat, rogatum inducias cum religiosis suo & civitatum Prutenicarum nomine amplectatur, velitque Uratislaviae aut alio in loco conventum fieri: in quo de universis controversiis quae Pruteni, quaeque Poloni cum religiosis habent per communes amicos transigatur. Eo namque & Romanus Pontifex legatum de latere, & Imperator cum electoribus praestantiores oratores emittent. Vos interea temporis Papae supplicabitis, id muneris Cardinali Sancti Petri committat. Probavit consilium hic Albertus Marchio; moxque illud in Theutonicum sermonem vertit. Caeteri omnes

 assen-

assensi sunt: scriptum est Romano Pontifici, legati quoque delecti, qui ad festum Ascensionis dominicae Pragae conveniant. His itaque conclusis placet audire quid principes quidve legati super articulis Imperatorio nomine porrectis opinentur.

Cum vafer ille serpens, hostis humani generis, qui omnibus in locis sua venena dispergit, in hoc quoquomodo conventu conatus est litem serere. Ejus enim, ut arbitror, suasu, consurrexerunt nonnulli ex Alemanis qui nullo pacto fere idum dicerent Burgundiae ducem ante principes electores verbum facere. Credo, sciebant Ducem multa promissurum; se vero pauca oblaturos, verebanturque post magnifica verba Ducis ea loqui, quae viderentur inania. Dicebant autem negotium passagii a Caesare ortum habere; dixisse illum per legatos ex bono, quae putavisset: nunc electoribus dicendi locum deberi, post Burgundiae Duci. Legati Caesaris aequum censebant Ducem Burgundiae, qui praesens esset, quemadmodum sedendo, ita & loquendo legatos absentium anteire. Res aliquandiu mentes procerum conturbavit. Sed ubi res ad Philippum deducta est: minime, inquit ille, vis haec maligni spiritus erit, ut hac de causa Christi negotium obvertat. Neque ambitiosus veni, neque redibo superbus: dicam vel ultimus, dum religioni bene consulatur. Tum viri boni, quibus concordiae studium fuit, vocandos esse consiliarios Ducis inter Theutones suaserunt: cumque his de capitulis Imperialibus conferendum. Hoc peracto, compertum est placere Duci, quod Theutones super capitulis respondere decrevissent: commissumque est Marchioni Alberto verba, unus pro omnibus, ad Legatos Caesaris faceret. Ille autem in conventu generali, silentibus caeteris.

Audivimus, inquit, clarissimi oratores, quae pro tuenda christiana religione Divum Fredericum Caesarem praemeditatum exposuistis; sapienter & graviter nostro juditio in tanta re sua majestas movetur. Philippus Burgundiae, Ludovicus Bajoariae Duces, regis Poloniae, electorum, aliorumque principum & civitatum legati, loqui ad haec me aliqua jubent. Faciam id bre-

vi-

viter. Commendamus omnes nostri Caesaris animum, gratiasque optimo & maximo Deo reddimus, qui nobis principem hoc tempore praebuit, de communi utilitate cogitantem. Illum salvum, illum incolumem praestari quam diutissime reipublicae cupimus. Cogitatus ejus probavimus, laudamusque; uti sanctum hoc propositum totis conatibus prosequatur, obnixe rogamus cum pro salute communi Christianorum, *tum* pro laude & nomine sempiterno nostrae inclytae nation*is*. Super capitulis vero, quae porrexistis, non est cur multa dicamus: quando ex vestra sententia in altero concilio, quod futurum est, ea pressius discutienda sunt. Convenient, ut confidimus, tunc alii complures, qui de Turchis, deque rebus Graecorum ac situ regionum noticiam majorem quam nos habebunt. Ulricus fortasse Ciliae ac Joannes Bristicensis comites aderunt. Ex his cognoscemus quae multitudo pugnatorum ducenda sit, quo in loco, quove tempore invadendi sunt Turchi, quo genere pugnae, quibus utendum machinis, qua via ducendi sint commeatus, quae recipienda, quae consilia vitanda videantur. Intelligimus etiam quid acturi sint Itali, quid Gallici, quid caeterae nationes. Quod si concurrant Hungari, Bohemi, Poloni, & alii christiani, haud quaquam tamen nunquam ex nostra natione deducere oportebit, quantum vestra capitula innuunt, ne fiat exercitus qui pasci nequeat, atque, ut de Xerse traditum est, nedum fruges edentibus, sed ipsa quodamodo flumina potantibus desint. Caetera magno consilio divinaque mente cogitata existimamus. Atque illud potissimum, quod de pace quinquennali sanciendum asseverastis. Utinam inveniri possit perpetua. Certum enim est, quia nullus educi exercitus ex nostra natione poterit, nisi pace inter nos potiamur. Quod autem Caesaris adventum ad concilium alterum in ancipiti ponitis; id nobis triste est. Scimus enim esse complura quae Caesaris praesentiam exigunt, atque hoc maxime quod de pace dictum est. Si ergo cupit Imperator rem contra Turchos feliciter geri, suadete ad conventum veniat. Haec nostra sententia est, hoc consilium suae majestati tanquam fideles

 prin-

principes & obsequentes vassalli praebemus. His finitis, assurgens Vilhelmus Episcopus Tullensis, qui tum Ducis Burgundiae consiliarius imprimis acceptus fuit, literis ac prudentia memorabilis; in hunc modum loquutus est.

Tacerem modo, neque penes tantum principem, quantus est Marchio Brandeburgensis, dicere auderem, nisi me res novas & alienas ab his, quas ipse attigit, praeeccellentissimus dominus meus Philippus Burgundiae Dux in medium afferre juberet; nam quantum ad capitula pertinet, quae nomine Caesareo producti sunt, copiose & sapientissime nomine omnium loquutus est Marchio: dicta ejus accipit, probatque meus herus, neque adimit verbum. Sed sunt alia quae dicere me oportet: vos paulum, quamvis estis audiendo defessi, non mihi, sed meo principi aures accommodate; sic enim qui sit animus ejus pro defensione nostrae fidei plenius intelligetis. Pauca dicam, sed ea neque vulgaria erunt, neque indigna hoc auditorio.

Magna & pene infinita sunt beneficia, quae divina pietas meo principi contulit, qui natus ex alto Francorum sanguine, inter nobilissimas orbis progenies educatus est, qui poterat non modo plebejus sed mendicus nasci: corpus illi salubre, procerum, robustumque dedit, vitam inoffensam, & quantum fas est homini optare diuturnam: ditionem populosissimam & amplissimam, nobilissimas civitates, provincias pares maximis regnis. Quae sint & quantae opes Philippi omnes scitis. Quanta in ejus aula magnificentia, quantus splendor, quanta gloria. Usus est dulcissimo & felici connubio sapientissimae, & nobilissimae consortis suae; filium sustulit, qui jam pubes est, expectatae indolis, institutione proba, optimis moribus, sibi & conjugi obsequentem. Victorias ejus quis enumeret? Superatis hostibus saepe spolia duxit opima: Triumphos ejus ostendunt templis affixa trophaea. Vicini per circuitum aut amicitia aut metu verentur eum. In Gallia, in Germania magnum Philippi nomen. Neque terra est tam barbara, tam inaccessa, quam hujus principis fama non penetraverit. Haec intelligit Philippus dona Dei esse,

co-

cognoſcitque propterea divino nomini miris ſe modis obnoxium. Namque ſi omnes, qui vitam & animam rationis participem a Deo conſecuti ſunt, agere gratias debent, quia neque brutam ſortiti ſunt animam, neque inter arbores aut ſaxa dejecti; quanto magis gratum oportet Philippum eſſe, qui non ſolum homo, ſed nobilis homo, ſed princeps homo, ſed maximus princeps homo natus eſt, & inter omnes qui hodie vivant fortunae ac naturae bonis cumulatiſſimus homo? Haec ille ſecum nonnumquam pectore volvens, quamquam nihil eſt quod digne homines erga divinam pietatem rependere queant; cogitavit tamen aſſidue quo pacto ſuum obſequium Deo acceptabile redderet. Cumque revolveret animo, qua in re potiſſimum Deo ſuo complacitum ire poſſet, venit in mentem Hieroſolymitana Civitas, quae licet Salvatoris noſtri ſepulchrum in ſe claudat in manibus tamen foediſſimae gentis Saracenorum exiſtit. Stetit ei ante oculos Antiochia jam dudum amiſſa, & Alexandria Saracenis parens; conſideravit totum orientem, atque ipſum meridiem Mahumeti fabulis occupatum. Graeciae majorem partem poſſidere Turchos; Septentrionem gentilitatis errore deceptum; chriſtianos in angulos occidentis redactos. Nam, quamvis multi per Orientem Chriſtiani reperiantur, non tamen liberi ſunt, mancipiorum more vitam agunt, afflicti in dies verberibus & contumeliis. Optimam ergo hanc palaeſtram Philippus exiſtimavit, in qua ſeſe exerceret, placeretque Deo, ſi operam daret qua Chriſtiani Saracenorum excuterent jugum, ac Domini lectus, terraque illa ſancta ex manibus infidelium eriperetur. Statuit igitur toto conatu ad haec incumbere, memor quia & pater ſuus eodem ſuccenſus zelo, vocatu Sigiſmundi regis Hungariae, qui poſtea rerum potitus eſt, forti animo contra Turchos pugnavit, quamvis adverſante fortuna praelium inauſpicatum infauſtumque fuerit. Sequitur igitur paterna veſtigia Philippus, de fide tuenda ſolicitus eſt, huc ſuos cogitatus, huc curas omnes convertit. Nihil ei magis menti & cordi eſt, quam ut exercitus ſuo tempore inſtituatur, qui Turchos Saracenoſque funditus

tus

tus delere possit. Hinc cum Eugenius Pontifex & Uladislaus rex Poloniae, qui Hungariam tenuit, contra Turchos arma sumpsissent, classem armavit, quam ex portu Brugiensi, qui est in mari Britannico, in Pontum Euxinum, atque in ipsa ora Danubii per tot inhospitas gentes, per infinita pelagi spatia & innumerabiles sinus emisit. Sed cum eo quoque tempore parum feliciter pugnatum esset, rursusque Hungari exercitum repararent, non destitit Philippus auxilia mittere. Sed heu nostras curas! perierunt & tunc nostri exercitus, in praedam nostri conatus jere. Non tamen defuit animus Philippo, qui quanto magis affligi Christianos animadvertit, tanto magis assurgendum consulendumque nostrae religioni putavit. Cumque Turchos vincere neque suum, neque Hungarorum intelligeret; decrevit summas Christianorum excitare potentias. Oratores suos ad Romanum praesulem, ad Imperatorem, ad ceteros orbis reges transmisit, quanta per Orientem Christiani paterentur opprobria commemoravit, quae impenderent Christiano populo discrimina ante oculos posuit; obviari malis instantibus, arma recipi, commune passagium fieri supplex oravit, seque in propria persona iturum pugnaturumque obtulit. Quod si tunc ejus vox audita fuisset, haud quaquam modo florentissimae urbis Constantinopoleos deploraremus eventum, neque nos modo tantopere Turchorum studia deterrerent. At iratus iniquitatibus nostris immortalis Deus, surdis auribus verba facere legatos Philippi sustinuit. Nemo his auscultavit, nemo assurrexit; quasi somnia, quasi deliramenta visa sunt Philippi monita. Solus autem, cum ipse tanto bello impar esset, maluit quiescere, quam frustra niti. Secuta est exinde Constantinopolis expugnatio, eaque Graeciae ruina quam nunc universi defletis, quaeque totam Christianitatem commovet atque conturbat. Hinc Romanus Pontifex excitatus reges ac principes arma sumere jubet; hinc Caesar irritatus de ulciscendo christianitatis vulnere consilia quaerit, conventum indicit, principes accersit, amissionem maximae civitatis exponit, & acerbam orientalis Imperii calamitatem. Rogatur inter caeteros principes

cipes Philippus Burgundiae Dux, ne pigeat huc se conferre, qui paulo ante in Asiam sese militaturum ire promiserat. Is intellecta Romani praesulis atque Imperatoris voluntate; moestus de damno Christianorum, laetus de vocatione utrasque palmas ad coelum tollit, Deoque gratias refert, qui tandem orbis capita de communi utilitate cogitare compulerit. Erant ei cum rege Anglorum per id temporis non parvae lites, qui ruptis induciis violataque literarum fide, missa non parva classe, Ducis agros populabatur, gladio atque igne quaeque obvia consumens; ob quam rem nemo fuit qui Philippum domo excedere suaderet. Consilium unum omnium erat, manere domi Principem, atque hostem depellere, legatos ad hunc conventum mittere. Sed contra Philippo visum est, resistere Anglicis rem suam duxit, huc accedere negotium Dei putavit: plus se Deo quam sibi ipsi debere judicavit, opera sua per vicarios, negotia Dei per se ipsum aggredi statuit. Susceptis igitur, qui tunc apud se fuerunt, paucis comitibus, ordinatisque domi rebus ac ducibus, qui bello intenderent Anglicano selectis, itineri se commisit. Ascendit in Burgundiam, deinde ad Suicenses, ad Svevos, ad Bajoarios venit. Exceptus est omnibus in locis, volente Deo, laetabundis populis. Vix dicere possem quantos illi honores Albertus Austriae & Ludovicus Bajoariae duces, simulque comes Virtembergensis impenderint, aut quam magnifice erga eum se civitates habuerint; quae satis intueri vultum ejus nequibant; praevenire sese invicem in honore exhibendo, beatum se quisque credere, non modo qui Philippum, sed qui vel minimum ex servis ejus in cubiculum recepisset. Albertus autem eo usque Philippum dignatus est, ut se filium ejus appellari vellet, idque sibi licere magni beneficii loco susceperit, quae res ex mente Philippi nunquam excideat. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi, & freta destituent nudos in litore pisces, ut Mantuani verbis utamur, qua tot beneficiorum memoria apud Philippum intereat. Venit autem ille in hunc locum vocatu Caesaris, praeter honorem Dei & christiani populi salutem, rem nul-

lam

lam quaeritans. Speravit hic cum Caesarem tum principes complurimos convenisse, atque in hoc conventu adversus Turchorum superbiam bellum decerni: fuit, ut vidistis, & voluntarius & promptus in opus Dei, totumque se vestris consiliis praebuit. Nunc, quando res dilationem recipiunt, rursusque novum concilium habituri estis, quia fortassis non erit ex re Philippi in eo comparere, jam jam quae sit animi sui sententia prodere mavult; neque enim is est qui cogitandi tempus exposcat; deliberatus & animo parato ad vos venit; quod dicturus erat Imperatore praesente id modo dicit, proderit fortasse propositum ejus jam esse vulgatum. Quantum ad scedulam Imperatoris attinet: nihil addit: nihilque minuit Philippus ex his quae loquutus est nomine omnium Albertus Marchio; si accepta fuerit ea via, sequitur datum ordinem Philippus. Si minus, ut testatus est sit apud omnes gentes animus ejus, haec pro Deo, ac vobis inconcussa fide pollicetur. Si Caesarea majestas ducatum exercitus Christiani contra Turchos acceperit, expeditionique personaliter affuerit, Philippus ei sub vexillo Imperii cum comitatu quo poterit & robustissimo in propria persona famulabitur. Id oneris si recusaverit Imperator, volueritque rex Hungariae ac Bohemiae Ladislaus, quamvis puer adhuc, in exercitu pro fide catholica militare, in castris ejus Philippus erit. Rursusque si neque Imperator neque is pugnare in Turchos decreverit; & alii christiani principes arma susceperint, apparatumque tanto bello dignum fecerint, his sese Philippus adjunget, neque ullo pacto deerit, nisi tali detineatur impedimento propter quod tota Christianitas excusatum eum suscipiat. Quo casu de sanguine suo nihilominus principem aliquem destinabit, cum equitatu peditatuque digno qui Burgundiae ducis videri debeat. Haec me jussit exponere Philippus, ne suae mentis effetis nescii. Ipse die crastina recessurus, vos bene valere optat. His latine dictis, ac deinde sermone Theutonico pronunciatis, legati Caesaris in penitiori cubiculo se retrahentes, Episcopo Senensi committunt nonnulla ex tempore, quasi pro fine concilii dicat,

Phi-

Philippumque ducem commendet. Quibus in concionem reversis, idem Episcopus in hunc modum profatus est.

Tua verba, Marchio illustris, quae unus pro omnibus fecisti, non sine voluptate accepimus, quando ex his cognovimus Imperatoriae serenitatis propositum de tuenda christianitate gratum atque acceptum esse. Quae veluti consulendo dixisti, referemus immutilata Caesareo culmini. Nec dubium nos habet, quando in futuro concilio Caesar adsit facultas ei modo affuerit veniendi: nam hoc est quod sibi prae caeteris rebus cordi est. Vos modo operam date ne quid impedimenti tantis rebus iniiciatur. Te autem Philippe Dux inclyte ac magnanime, & ut te nomine tuo compellem, nostri gloria saeculi, qui longo itinere non sine gravi sumptu ac labore, dimisso in discrimine regno tuo, jussioni Caesaris paruisti, ad consulendum Ecclesiae Catholicae huc profectus, teque liberaliter & supra modum obtulisti magnifica, quibus commendemus verbis non satis in promptu est. Licebit tamen prae gaudio exclamando dicere: O cor tuum, nobilissimo sanguine tuo nobilius! O principem laudibus immortalibus efferendum! O Christianae gentis unicum jubar: lucemque mirificam! O patris optimi meliorem prolem! Quibus te nunc praeconiis efferemus? nunquam ita magnifice quicquam de te dixerimus, id virtus quin superet tua. Tu profecto ita te hodie gessisti, ut inprimis coelesti regi, deinde terreno Imperatori, postremo omnibus Christianis de te ipso copiose abundeque satisfeceris. Possumque ego illud de te proferre, quod in Julium Caesarem promit Cicero. Nulla enim unquam aetas de tuis laudibus conticescet. Implesti hodie cunctorum qui adsunt desiderium, mentesque omnium erexisti, spemque nobis ingentem praebuisti rerum optime gerendarum, quando te maximum inter principes nostri orbis jam natu grandiorem belli labores sponte suscepturum pro nostra religione videmus. Nam quid alii faciant, quando te talem tantumque ducem lorica indutum aspexerint & fulgentibus armis. Conduplicasti hodie quod volebamus; nanque cum satis esse diceremus te belli participem obtinere, Ductorem exer-

exercitatoremque reliquorum te comperimus. Ingens est haec tua laus, aeternum hoc tibi decus comparasti; qui cum esses ultimus inter Christianos cui Turchorum gladius extimescendus existat, primus tamen omnium prodis contra Turchos arma suscepturus. Et quis erit, obsecro, adeo irreligiosus Christianus, adeo iners, adeo communis boni negligens, qui tuo exemplo non moveatur? Nos quidem tua promissa tuaque facta divo Caesari exponemus, quem tanto magis gavisurum certissimi sumus, quanto promissiones tuae & acta tua, quasque de te spes habuimus exsuperare videmus. Nunc Virgilianum illud in te dicere possumus In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt. Ad te nunc venio magne parens Ecclesiae Papiensis, quem prima sedes huc legatum misit. Gratissima fuit tua praesentia in hoc loco, ad res bene gerendas eloquentia ac prudentia tua singularis adjumento non parvo fuit. Agimus ingentes gratias domino Apostolico qui te direxit, teque magnopere commendamus quod nulla in re defuisti. Quae hic gesta sunt tuum erit Apostolicae pietati referre, atque hortari, ut quae suo incumbunt officio expleat, in altero concilio legatum habeat. Opus hoc sanctissimum, quod fruenti animo inchoavit, frequentiori studio prosequatur. Haec inclyta natio Germanica, quae caeteris in rebus apostolico culmini devotissima est, in hoc certe negotio fidei suae Sanctitati obsequentissimam se praebebit.

Tu quoque, Casimiri Serenissimi Regis Poloniae ac magni Lituaniae Ducis orator, Regem tuum super his quae hic gesta sunt, & quae gerenda superant, certiorem efficies, cujus mentem ad commune bonum paratam libenter audivimus, ejusque propositum Caesareae sublimitati non sine debita commendatione referemus. Praestet autem ipse facto, quod verbo promittit. Assurgat totis viribus, quando sua potissimum interest, dum Turchi bello premunt in Graecia praelium cum Tartaris in Muldavia, sive in Valachia miscere, ne alteri alteris

teris auxilio esse possint. Sic enim disjunctae duae validissimae gentes facilius opprimentur. Deserat rex tuus Prutenicum bellum quod christianis noxium est, atque ad infideles arma sua convertat: unde possit & laudem mereri & fructum suscipere.

Similiter & vos, clarissimi ac potentis Sabaudiae Ducis oratores, domum redeuntes, quae vidistis & audivistis domino vestro nota efficietis, curabitisque, ut ad futurum concilium legatos de sua mente instructos mittat, ut qui nunc dicto Caesaris parens fuit, tum quoque fidelem principem & Imperatori obsequentem exhibeat. Idem vos caeteri qui adestis, sive principum, sive civitatum vices agentes, erga eos qui vos miserunt efficietis, ut quod bene coeptum est opus, ad honorem divini nominis, salutemque christiani populi, & hujus inclytae nationis decus atque Imperii sacri gloriam optime consummari possit.

Haec cum AEneas Latine pronunciasset, Gurcensis Episcopus sermone patrio exposuisset, assurgens legatus apostolicus in laudem Philippi Ducis ornatam oratiunculam habuit, commendans eum principem, qui domo, uxore, filioque unico pro Christi nomine tuendo relictis, itineri laborioso ac longissimo se commisisset, seque prae caeteris principibus in obsequium Ecclesiae promptum paratumque ostendisset. Id futurum summo Pontifici acceptissimum, nullasque gentes oblatiorem ejus audituras, quae nomini suo non benedicant. Albertus autem Marchio Brandeburgensis, quem Teutonicum Achillem nonnulli vocitant, vir corpore atque animo fortis, ubi tanta opera Philippi accepit, cupidus & ipse laudis suo ac Ludovico Bajoariae magni Ducis nomine, qui proximus assidebat, his verbis usus est. Imples nos hodie summa consolatione summoque gaudio, Philippe dux inclyte, quando pro christianae religionis tutela usque adeo te pronum paratumque dictitas. Audivimus cupide tuum sermonem teque dignum aeternis praeconiis judicamus. Neque tibi in hoc tam probabili desiderio deerimus, neque te solum relinquemus: cupimus & nos Christi fidem pro virili nostra tueri, qui nisi velimus a no-

nostris majoribus degenerare, necessario cogimur pro nostris conatibus christianam religionem adjutare: facessat omne dubium. Nam & nos qui adsumus, & complurimi ex absentibus, nostrae nationis principes, adversus impiam Turchorum gentem arma sumentes, in personis propriis militabimus, ostendemusque Christianae plebi curam esse nobis catholicae & orthodoxae fidei.

Alacritas his dictis inter omnes mira exorta est, laetari universa concio nunc Philippo nunc Alberto benedicere ac bona precari, conferre alterum alteri, Philippum extollere, qui cum magna pace in summis deliciis vivere possit, pro communi tamen bono committere sese laboribus ac periculis velit. Albertum magnificare, cujus animo nihil videri difficile potest, & unus omnium laboriosissimus atque cautissimus videatur. Utrumque laudis & gloriae dignissimum praedicare; hosque tempestate nostra solos esse dicere qui reipublicae christianae curam gerant. Ludovicum quoque his adjungere, cujus adolescentia bonis iniciata principiis spem clarissimi principis exhibet. Atque in hunc modum soluta conventio est. Manebimus deinde Francfordiense concilium, quod, si Deo placitum fuerit, initia Ratisponae habita prosequatur.

DIA-

DIALOGUS AENEAE

Pro Donatione Constantini.

PLaces mihi Bernardine, qui Constantini causam tueris, cujus beneficentia Romana Ecclesia ditata est. In eo tamen mihi non places, qui Silvestri baptismum reprobas. Nam & formosam Constantini donationem refellere videris, dum gesta Silvestri in dubium revocas.

Ber. Ego vero neque donationem impugno, neque gesta Silvestri refello, quae veris historicis non repugnant. *AEneas*. Ergo tu verum fateris, quod Petrus, ait, occidentalia Regna & urbem Romam Silvestro Constantini donatione obvenisse, neque alienum ab historia censes, quod Gratianum dicunt inter decreta Pontificum de hac ipsa donatione retulisse. *Bernard.* Minime hoc erroris ex me hodie excidet: ego Constantinum condito testamento orientale & occidentale inter filios divisisse imperium compertum habeo, quod moriens nulla ratione fecisset, si prius occidentalia regna Romanae Ecclesiae largitus fuisset. Scimus praeterea Valentinianos, Theodosios, Justinianos, religiosos principes, Romam, & occidentis oras absque ulla sedis apostolicae controversia possedisse. Romanos autem praesules saepe ex indulgentia Caesarum, nunc hoc, nunc illud templum ut in Ecclesiae formam dedicarent obtinuisse *. Neque scriptum illud quod Paleam vocant, * eo stilo compositum est, ut Constantini videri possit Commentitia res est, atque, ut arbitror, ignorante Gratiano inter posi-

* Petrus Comestor in histor. scholast.

* *De Paleis quo titulo saepe notantur canones quidam in Gratiani decreto ego quaedam attigi in meis ad Historiam Ecclesiasticam P Natalis Alexandri adnotationibus, quo loco ibi de Gratiano agitur:*

ejus confectos labores inemendate, inculte, barbare dictata. *Aeneas*. Modo negas, modo asseris; si non est vera donatio, quam Petrus exposuit, quam, obsecro, donationem in medium affers? *Bern.* Damasus, apostolicae sedis Pontifex, qui fuit vicinus Constantini temporibus, rogatus a Hieronymo Romanorum gesta Pontificum scribere, * cum venisset ad tempora Silvestri, de donatione Constantini distincte atque diffuse loquutus; ait enim, illum quamplurimas basilicas & in Roma, & in aliis urbibus erexisse; maximas vero Ecclesias a fundamento fabricasse Apostolorum Petri & Pauli atque Johannis, hisque donasse vasa aurea atque argentea magni ponderis. Tum vero & domos & fundos, & thermas, villas, & insulas, & alias diversi generis possessiones atque annuos census admodum multos. Numquam tamen illic aut Romam dono datam, aut occidentale Imperium inter filios Ecclesiae dimissum invenies. *AEneas*. Verum juris interpretes, etsi nonnulli dubitant, valuisse donationem Imperii, factam tamen nequaquam in dubium vertunt: omnes enim ita disputant, tanquam donatio praecesserit. *Benar.* Fortasse noctuae visum habent in luce, sicut caeci in tenebris vident, quod non est factum, effectum ajunt. Quod fieri potest, fieri non posse putant. Pulchre sapiunt. Sed quid tu mihi Jureconsultos nostri temporis affers, cum de historia dubium est, quibus cum nihil liceat contra textum legis hiscere? Accursio glosatori fidem habent, qui leges Atheniensium inducta stulti fabula ad Romanos delatas asserit. *AEneas*. Quo jure igitur Romani Pontifices possident, jus dicunt, regalibus utuntur? Cur non contenti suis possessionibus, quae sua sunt Imperio restituunt? *Petrus*. Hic me prurientem fricas AEnea. *Bernar.* At ego te, Petre, si male sentis excoriatum dedam. *Pet.* Quo pacto? Quid mali dixi? *Bernar.* Romanos praesules qui Roma & amplis dominiis injurias (a) existimare videris. *Pet.* Tua me istuc dicta perducunt. *Bernar.* Qua ratione? *Pet.* Quia dum negas donatum imperium, reten-

(a) Locus corruptus.

* *Sermo hic est de libro gestorum Pontificum Romanorum Damaso olim; dein Anastasio Bibliothecario tributo.*

tentum (*b*) *Bernar*. Falleris; si non donavit Constantinus, donavit alius Imperator. Neque solo donationis titulo dominia quaeruntur. Imperium semper, ut ait tuus Sallustius, ad optimum quenquam a minus bono transfertur. Neque apud eos regna perseverant, qui justitiam calcant. AEquitas & continentia donatum servat; libido atque superbia subvertit; principatum retinet labor, desidia potestatem fugat. Audi quo pacto Romana Ecclesia in sublime conscenderit; simul tibi & Imperii mutationem & incrementum Ecclesiae referabo. Rem apud historicos involutam & obscuram paucis tibi manifestam dabo: cujus quinque Romani Pontifices fuere participes, Gregorius, Zacharias, Stephanus, Adrianus, Leo. Negocium Gregorius inchoavit, Leo perfecit. Imperatores apud Constantinopolim duo fuerunt, ex quorum manibus eripiendum videbatur Imperium. Leo tertius, natione Syrus, & filius ejus Constantinus Sextus. In domo Francorum duo lumina claruerunt quae mundum illustrare posse credita sunt, Pipinus secundus, & Carolus magnus Nunc ordinem accipe. Leo Syrus, cum rerum potiretur, idololatras existimans qui vel sanctorum vel Christi venerarentur imagines, cum Gregorio tertio, qui Romanae praesidebat Ecclesiae, asperrime contumaciterque contendit, neque commonitus acquievit, sed apostolica voce contempta Romam veniens, imagines quasque diripiens, secumque Constantinopolim deferens, lata sententia in medio foro cremavit. Indignatus pro contumelia Salvatoris Gregorius, cum frustra per literas instrueret, coactus, quod beati Petri posset auctoritas a Christo data palam facere, temeritatem Imperatoris coelesti mucrone feriens ne candorem populorum principis lepra conficeret, universam Italiam ab ejus obedientia descire suasit, congregataque Patrum Synodo venerationem imaginum approbavit. Leone vita functo Constantinus ejus filius, quem septimum vocant suscepit Imperium: neque perfidia, neque crudelitate minor patre, cruentis sacrificiis & invocationibus infamis daemonum, cujus opera multae inter christianos caedes peractae sunt. Inter haec apud Francos,

(*b*) *s. imprebat*.

cos, mortuo Carolo Martello qui major domus habebatur, cum tres filios reliquisset, Carolum Mannum, Pipinum, & Gritonem, ultimusque cum fratribus bellum gerens, victus, & in deditionem receptus, haereditatem amisisset, Carlo Mannus, qui Franciam orientalem obtinebat, religionis accensus studio, in Italiam venit, & a Zacharia, qui Gregorio successerat, tonsus & ordinatus clericus in monasterio Silvestri, quod in monte Soracte fuit, Monachus effectus, cum multis ex Francia se petentibus optata quiete perfrui nequiret, ad monasterium Cassinense, unde tibi nunc iter est, sese contulit; ibique vitam firmavit. *Per.* O si scissem tantum illic dormivisse virum, sepulchri vestigium quaesivissem! Quis enim non coelo receptum putet, qui monasterium regno praetulit? sed perge. *Bern.* Consuetudine apud Francos introductum erat, ut regibus solo nomine gaudentibus, majores domus omnem regni curam gererent; Pipinus igitur ex duobus fratribus, altero in monasterium truso, altero in custodiam recepto, cum solus regno praeesset, missis ad Zachariam legatis quaerit, quidnam gerendum sit cum Helderico, qui ex vetusto Merovingorum sanguine natus, adhuc se regem appellat, & insignis regalibus utitur. Zacharias, re cognita, respondit sibi eum regem habendum qui regum negocia curet. Redeuntibus in Franciam legatis, mox regni proceres in unum convenientes, ex oraculo Zachariae Pipinum regem constituunt. Zacharias paulo post diem obiit. Stephanus ei secundus surrogatur. Hic cum graves injurias Aistulfi regis Longobardorum ferre non posset, in Franciam provectus, Pipinum in auxilium implorat. Cumque in Galliis aliquandiu moram traheret, donec Pipinus copias cogeret, requirentibus regni magnatibus omnes qui Hilderico juratum praebuerant absolutos reddit: Hildericum detonsum in monasterio claudit, Pipinum regem inungit. Veniens deinde Pipinus in Italiam Aistulfum praelio victum apud Papiam claudit, & obsidione durissima cingit. Petit pacem Aistulfus, & obsidibus datis satisfacturum se papae promittit. Sed cum Ste-

Stephanus Romam rediisset, Pipinus transalpes abiisset, fides cum metu defecit. Queritur denuo Stephanus, Pipinus indigne ferens se ab Aistulfo esse delusum; rursus in Italiam exercitum ducit, Aistulfum bello fractum & iterum obsidione conclusum implere promissa compellit. Ravennam deinde Bononiamque & alias hexarchatus civitates jure belli obtentas Romanae Ecclesiae donat, atque in regnum reversus, paulo post relictis duobus filiis Carolo & Carolo manno naturae debitum solvit. Stephano quoque per idem tempus vita functo, Adrianus papa suffectus est. Tunc & Aistulfo mortuo apud Longobardos Desiderius regnum obtinebat, avaritia & infidelitate nihil minor patre. Invasit igitur agrum Ecclesiae temporaliaque Romani Pontificis abrasit. Adrianus, qui religionem & fortitudinem Caroli perspectam habuit, legatum in Franciam mittit insolentiam Desiderii accusat, exempla paterna refert, Ecclesiam Romanam commendat. Carolus, cui cor altum natura dederat, cum mortuo fratre solus apud Francos regnaret, Saxonesque bello vicisset, cum magnis copiis Italiam ingressus Desiderium Papiae claudit, atque ibi dimisso exercitu orationis causa Romam pergit. Reversus, urbem ferro & fame fatigatam capit. Italici ad eum veniunt, seque potenti Domino sponte subiiciunt. Victoria potitus Carolus ad Urbem redit, temporalia Ecclesiae Romanae restituit, dona paterna confirmat. Et insuper Ducatum Spoletanum, Beneventanumque liberali manu concedit. Adrianus convocatis Italiae sacerdotibus sedens, Carolo pro tantis beneficiis jus eligendi Romanum Pontificem & ordinandi sedem apostolicam tribuit, eumque Patritium compellat, pronomine, quo per id tempus patrem principis intelligebant. Statutum quoque ab Adriano est, ne quis Episcopus per provincias consecraretur, nisi laudatus a rege prius.. recepisset. His peractis Carolo in suum regnum reverso, Leo, natione Romanus ex patre Aystulpho, qui post Adrianum cathedram regebat apostolicam, Romanis odiosus, velut adulterium commisisset, dum litaniarum pompam ex more ducit, populari furore captus

flagitiosissime laniatus, in carcerem conjectus, e custodia labitur, & ad Carolum fugiens, eventum rei deplorat. Is, ubi pontificis populata tempora, raptas aures, & truncas inhonesto vulnere nares conspicatus est, cum vix formam hominis in homine cerneret victor omnium gentium quae (c) sub arcto sunt .... indignatus, Romanae plebis flagitium, miseratusque tanti patris, caussam exponit sui adventus. Cumque nulli prodirent adversus Episcopum accusatores legitimi. Leo in Basilica S. Petri coram populo quae sibi objecta sunt crimina tactis sacrosanctis Evangeliis falsa esse juravit. Sacrilegi, qui manus in Christum Dominum conjecerant, capitali sententia damnati, rogante pontifice ad poenitentiam vitae reservati sunt. His dictis, Carolus exercitum in Asiam traiicit, faventeque rege Persarum, qui tunc Syriam obtinebat, Hierosolimam ex manibus Saracenorum eripiens, Christianae custodiae reddit; ac tertio Romam reversus victoria magnificus & spoliis onustus orientis; dum ad Sanctum Petrum tei divinae opera datur, inter missarum solemnia Imperator acclamatur, & Augusti nomine salutatus, ex manu Leonis coronam accipit. Exinde Romanum Imperium, quod Constantinus Augustus in Graeciam transtulerat, Pipino merente, Carolo & merente & obtinente ad Francorum gentem derivatum est. Ab his, ut diximus, ampla dominia Romana Ecclesia consequuta est. Nec minora postmodum Ludovici, Lotharii, atque Ottones beato Petro ejusque successoribus largiti sunt. Constat & comitissam Mathildim, illustrem foeminam, non parvam Thusciae partem, quae sibi haereditario jure obvenerat, sedi apostolicae tradidisse, quod vos modo Beati Petri patrimonium appellatis. His modis atque artibus in altum elevata est Romana Ecclesia: has donationes historici nostri referunt, apud quos veri pondus esse putatis. *Petrus*. Duo mihi ex dictis tuis gravia & aliena videntur. *Bern* Quaenam illa sunt? *Petrus*. Non satis capio Romano Pontifici unde auctoritas haec tributa sit; qua posset imperium, quod Graeci jure merito tenuerunt, ad Francos derivare. Nam temporalia dominia, ultro

(c) *Locus corruptus.*

ultro donata, Christi Vicarium potuisse recipere crediderim. *Bernar.* Ingens te caecitas possidet. *Petrus.* Quam ob rem? *Bernar.* Quia non vides in terris Christi Vicarium primum tenere locum; caput Ecclesiae militantis esse; christiani populi magistrum & principem. Nescis quia Petro dictum est: *pasce oves meas*. Et *quaecumque ligaveris super terram erunt legati & in coelis.* Pastor ovium Petrus cum plena potestate ligandi atque solvendi creatus est. Inter oves Christi non plebes dumtaxat verum etiam reges atque Imperatores habendi sunt, si modo christiani videri volunt. Cur nequeat Imperatorem prima sedes deponere si minus idoneus est, si reipublicae nocet, si fidem persequitur? Ampla & absoluta potestas Petri est, cui non hoc aut illud sed omne ligandum solvendumque commissum est *Petrus.* Si me sustines aequo animo, neque moveris verbis meis, habeo pauca quae contra obiiciam. *Bernar.* Neque moveor, neque moveri possum: tranquillitas meum animum interminabilis habet. Dicito quae libent. *Petrus.* Quamvis amplissima potestas Salvatoris universali verbo signoque commissa sit; nemo tamen Romanum Pontificem aut divinam aut naturalem legem tollere posse confirmat. *Ber.* Quid tum? *Pet.* Si limitatur in his arbitrium Petri, potest & in aliis limitari. *Ber.* In quibus aliis? *Pet.* Ne quid agat quod Christus aut verbo aut exemplo prohibuit. *Ber.* Nihil obsto; sed ubi nam Christus Imperatoris depositionem Romanis Pontificibus interdixit? *Pet.* Cum se Dominus judicandum Pilato commisit, & omnia velut agnus patienter tulit, quae saecularis potestas in se decrevit, satis docuit Vicarium suum de saecularibus potestatibus non habere judicium. Dixit enim, ut nosti, apud Joannem. *Non est discipulus super magistrum neque servus super Dominum suum.* Docuerat insuper multis modis Salvator, nequid adversus Caesares resistentiae fieret, cum jussit tributum sui nomine reddi. Et aliis dixit *reddite quae sunt Caesaris Caesari, & quae sunt Dei Deo.* Stat & Apostoli doctrina pro mea sententia, nisi fallor, dum ad Romanos scribit: *reddite omnibus debita: cui tributum tributum, cui*

M 2 *vecti-*

vectigal vectigal. Et iterum: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Quae verba, si rite discutientur, christianos, qui tum Romae fuerant, non ut resistant Caesaribus, sed ut obsequantur & his sese subjiciant, commonitos efficiunt. Quod intelligentes majores nostri, quamvis sub sacrilegis Imperatoribus degerent, non tamen ipsorum mandata subire recusaverunt, sed obedientes eis in his quae Deo adversa non erant, assiduas pro his preces divinae majestati obtulerunt. *Bern.* Salvator apud Pilatum divinae dispensationis impleturus arcanum noluit declinare judicium, quod nostrae fuit salutis initium; ostendit tamen judicis potestatem singulari quodam modo in se tunc esse concessam, cum ait: *Non haberes adversum me potestatem ullam nisi tibi datum esset desuper*. Neque propterea Dominus vel Apostolus omnia gerenda praecepit, quae jubeant saeculi principes, quamvis & tributa & vectigalia his reddenda mandaverit. Scimus enim, quia facto flagello de funiculis, ejecit de templo vendentes atque ementes, & cathedras nummulariorum subvertit Dominus, docens Petrum & alios Apostolos Christianos ne ferant qui malis operibus oves Christi perturbant atque inficiunt; sed quicumque hi sunt, sive magni, sive parvi, cum fieri sentiant scandalo eos de templo eiiciant, idest ab Ecclesia repellant, excommunicationis flagello caedentes, quemadmodum, inquit Apostolus, quia haereticum hominem post primam & alteram monitionem devitare oportet; nec Reges aut Imperatores ab ecclesiastico judicio sunt exempti, dicente apud Hieremiam Domino; *Ecce constituo te super gentes & regna, ut evellas & dissipes, aedifices & plantes*. Et Paulus ad Corinthios: *Nescit*, is inquit, *quoniam Angelos judicamus; quanto magis saecularia?* Denique & de potestate Petri & successorum ejus quid tenendum sit paucis aperiam. Fateor, quia non omnia (*d*) quam. Christus potuit, Petrus potuit, neque mos gentium est Christi Vicarius, pastor ovium, princeps apostolorum, caput Ecclesiae, magister populi, ductor exercitus christiani, ut dum peregrinatur in terris humanum ge-

(*d*) *Locus obscurus.*

genus, delectas oves, idest christianas animas, in pascuis hujus vitae mortalis regat, atque in caulas, hoc est in coelum, quantum fieri potest salvas integras reducat. Ideoque cum dixit veritas Petro: *pasce oves meas*, omnem ei potestatem & auctoritatem contulit, quae ad regimen fidelium animarum pro adipiscenda aeterna vita necessaria videri potest. Atque hoc est, quod ait: *tibi dabo claves regni coelorum*. Quemadmodum ergo bonus pastor, non modo lupum qui suo insidiatur ovili toto conatu prosequitur; sed arietem quoque, siquis inter greges morbidus est effectus, a stabulo procul abigit; ita & Romanus Pontifex, non tam Saracenorum & aliorum infidelium potestatibus, ne christiano populo noceant, pro sua virili resistere; verum etiam christianos reges & principes coercere debet, si declinantes a lege divina & aberrantes ab utero matris ecclesiae falsa loquuti subjectos populos in praecipitium trahunt. Quemadmodum Leonem Syrum, & Constantinum ejus filium egisse constat, qui superba mente, & animo insanabi[li] [al]iena de religione loquuti, christianam plebem, n[e] [s]anctorum venerarentur imagines, coercebant. Leonem igitur, cum non audiret vocem Ecclesiae, Gregorius ex grege fidelium separavit. Constantinum mater Irene, digna mulier quae talem filium genuisset, utroque lumine cassum in poenam divinae blasphemiae traxit, imperiumque sibi arripuit, atque ipsa regnante translatio facta est, ne Romana potestas, quam viri fortes & continentes magnis laboribus ab initio pepererunt, apud haereticam & scelestam foeminam residens deperiret. Quod si rite homines judicent in hac imperii translatione nec auctoritatem nec causam defuisse comperirent. *Petrus*. Taceo jam de translatione Imperii & donata Ecclesiae dominia quae dicis non inficior. Verum etsi laudo zelum donantis; consilium tamen accipiant probo. Nam saecularia judicia & gladii potestatem & belli curam, sine quibus dominia civitatum retineri non possunt, quis nescit Dominum sacerdotibus interdixisse? *Nemo*, inquit ad Titum Paulus, *Deo militans implicat se negotiis saecularibus*: Cumque suc-

successorem sibi Clementem Petrus assumeret; neque enim, inquit, judicem neque cognitorem saecularium negotiorum te hodie vult ordinare Christus. Inter canones apostolorum hujusmodi verba legimus: *Episcopus aut Sacerdos aut Diaconus nequaquam saeculares curas assumat; si secus egerit dejiciatur*. Quis usum gladii Romanis Pontificibus putaverit esse permissum, cum Petro dixerit dominus: *mitte gladium in locum suum*; & apud Lucam, cum vellent Jacobus & Joannes in Samaritanos ulcisci, quamvis essent illi digni, quod Dominum contempserant. *Nescitis*, inquit Salvator, *cujus spiritus estis: filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Quid quod in civili dominio servi & domini sunt & alter excellit alterum? Quo pacto Romanus Pontifex regnum teneat, cum dicat apud Matthaeum veritas. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri sit vester minister*. Intellexerat magistrum Petrus; atque ideo factus Pontifex *non dominantes in cleris sed forma* facti gregis, inquit. Quibus verbis, nisi me melius instruis, & regnum & omne civile dominium prohibitum clero putaverim. *AEneas*. Basilea tibi haec arma ministravit. Audivistis Petrum Anglicum, neque oblitus est verborum, quae protulit in disputatione quam habuit adversus Joannem Palomarium, cum alter Ussitarum, alter concilii partes tueretur. *Petrus*. Non me poenitet in Synodo Basiliensi fuisse, in qua lumina nostrae urbis excellentiora fuerunt. Multa illic didici, quae adhuc meminisse juvat. Joannes ille, Cathalonia oriundus, vir fuit multarum literarum & ingenii sublimioris, vita quoque & laudabili & munda. Et Petrus nihil praeter sophismata novit: nihil in eo solidi, nihil quod imitarer comperi, quem sola verbositas & inanis garrulitas Hussitarum Ducibus commendaverit. Anglici eum tanquam delirantem & blasphemum domo pepulerunt. Sed ignarus apud ignaros locum reperit. Nihil ego ex eo didici; nam quid ille, quod memoriae mandandum videretur, non protulit unquam? At cum au-

di-

direm Joannem respondentem inter caetera notavi quae modo retuli. *AEneas*. Cur non etiam quae in aliam partem dicta sunt meminisse? haec omnia Joannes diluit. *Bernardinus*. Tenacius memoriae haerere solent, quae noxiora sunt. Quae diligunt homines ea causa discunt. *Petrus*. Opinor ita esse, ut ais; sed aufer mihi, si potes hanc ex mente molestiam, ne sacerdotibus credam negatum esse civile dominium. *Bernar*. Facio libens, si te modo ratio magis quam pertinacia duxerit: Illud igitur in primis expeditum est nobis in veteri lege, sacerdotes temporalia dominia possedisse, rexisse civitates, fuisse judices, populis jura dixisse, adeoque magnum Imperium sacerdotale fuisse, ut morte plectendum dicerent eum qui dicto summi sacerdotis non paruisset. Non est igitur quod nobis ex veteri testamento objicias. *Petrus*. Non utique, memini enim dixisse Palomarium, cum Petrum argueret, pro quovis testimonio veteris legis, in quo potestas saecularis interdicta sacerdotibus videretur, quindecim e regione mox sese dicta reperturum, quae contra suaderent. *Bernar*. Bene est: minus tecum negotii erit. Ad legem Christi veniendum est, sanctam & mundissimam; nihil turpitudinis, nihil admittit mali; neque Clericos solum, sed laicos quoque sine labe sine macula nitidos cupit: mundiores tamen desiderat qui ministerio sacri altaris insistunt. Sint igitur Sacerdotes quales esse divina praeceptio jubet, doctrina, & sapientia praediti, fortes in adversis, in secundis rebus humiles, benigni misericordes boni & aequi tenaces, casti, & honoris Dei zelatores. Quid tum? nunquid horum imperio gubernari civitates & pulchrum & utile dices? *Per*. Dicerem nisi me Christi verba prohiberent; nam quo melior quisque est eo melius gubernat, eaque rerum natura est: haud Lucam cum rogaretur inter duos fratres juditium facere super vos (*e*); & apud Joannem legimus *Cum cognovissent quia venturi erant ut eum raperent & facerent regem; fuit iterum in monte*. Quibus exemplis discipulos instruebat ne judicium aut regnum assumerent Inter caeteros autem christianos imitatio Salvatoris praecipue sacer-

(*e*) *Desunt plura*.

cerdotibus convenit. ***Bern.*** Si regnare coepisset Dominus, neque crucis misterium, neque redemptionis nostrae praemia vidissemus. Adde quia minus efficax dictum est. Si omnia sacerdotibus recusanda credideris, quae Salvator declinasset, neque omnia quae fecit Dominus facienda sunt: neque vitanda omnia quae vitavit. Jussiones ejus, sive mandent, sive prohibeant, exacte servari debent; si quis contra nititur reus est mortis. Sed existimas ex verbis Matthaei quae paulo ante retulisti, prohibitum clero regnum; neque male sentis, si regnum interdixit apostolis suis veritas. Sed regnum quo utebantur. Est enim regnandi duplex forma: sunt reges qui ad suum commodum omnia referunt, superbi atque inflati opinione, suis voluptatibus dediti, qui cives loco servorum habent, judicia vendunt, pecunias cumulant, legibus nullis teneri volunt, nec amari magis quam metui cupiunt, atque cum OEdipo dicunt. *Odia qui nimirum timet regnare nescit: regna custodit metus*. Et iterum: *qui vult amari languida regnet manu* *Hujuscemodi reges apud Assyrios, Medos, Persas, AEgyptos & in omnibus fere gentibus erant, cum Salvator inter homines conversatus est, neque hodie desunt hujus regni vestigia. Quidam vero sunt reges, sed admodum pauci, qui Reipublicae praesidentes omnia, quaecumque agunt, ad eorum qui sibi commissi sunt utilitatem referunt, obliti commodorum suorum, qui cives veluti filios amant, & tanquam ministri Dei multitudinem sibi creditam justis legibus & optimis moribus regunt. Dominus igitur primam regnandi formam damnavit, cum ait: *Principes gentium dominantur eorum*. Nam & alibi dixit: *In viam gentium ne abieritis*. Secundam vero amplexus est, dicens: *Sed quicumque voluerit inter vos magister fieri, sit vester minister*. Neque enim bonus & verus rex aliud est quam populi minister & reipublicae servus, quem dies noctesque sollicitum esse oportet, nequid civitati desit, ne rixentur subditi, ne cui fiat injuria, nequid detrimenti regnum patiatur; ut vigeant leges, religio floreat pacis dulcedo in omnes aeque reluceat. Atque hoc est quod Petrus

ait:

ait: *Pascite quod est in nobis gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* Deinde subjunxit, quod a te relatum est: *neque ut donantes in cleris.* Sciens enim magnus Apostolus quod non placuisset magistro violenta dominatio, neque turpe lucrum, regendi normam praebens, eos qui praesunt prudenter admonet, ut ita se habeant tanquam subsint. Neque tam dominos subjectorum, quam se fratres existiment. Oportet eum qui regnum administrat eorum meminisse verborum, quae pulchre apud Senecam in Thyeste leguntur. *Vos*, inquit ille, *quibus Rector maris atque terrae jus dedit magnum necis atque vitae, ponite inflatos tumidosque vultus: quicquid a vobis minor extimescit, major hoc vobis dominus minatur.* Non igitur omne regnum Petrus ab Ecclesia semovit, qui prius dixerat: *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* Et Paulus: *fecit vos*, inquit, *regnum sacerdotale.* Regnum illud Ecclesiae recusandum est. Dominatio regalis, quae filiorum loco subjectos habet, neque Salvatoris jussu, neque Apostolorum monitis arcetur ab Ecclesia. Neque tu mihi opponas apostolicas voces, quibus Deo militantes saecularia tractare negocia prohibentur, quod tunc demum verum est, cum turpe lucrum aut indigna voluptas sive inanis rumor quaeritur. At si honor Dei, si pax populi, si salus animarum ex tractatu saecularis negocii resultat; quis dicat Christi militem expertem ejus esse debere? Aut nulla igitur dici debent saecularia negotia, ex quibus utilitas surgit animarum, aut dicenda sunt, & permittenda sacerdotibus. Petrum, & Andream scimus in apostolatu piscatos esse; sanctos Patres aedificasse domos, coluisse vineas, agros seruisse, jumenta pavisse; quae tamen saecularia negotia esse nemo qui sapiat inficias ibit. Et quae vinea pulchrior est? quis ager feracior, quam populus bene cultus, aut justiciae sarculo mundata civitas? Nihil est, inquit ille, tuus Cicero, (f) quod illi principio, Deo qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia

(f) *Locus turbatur.*

cissa coetusque hominum jure sociati, quae civitates appellantur, horum rectores & conservatores hinc perfecti huc revertuntur. Crassa proculdubio & supina ignorantia est eorum qui tanti boni, quantum in administrandis civitatibus acquiritur, Sacerdotes expertes ajunt. Cum dixerit discipulis suis Dominus: *venite post me, & faciam vos piscatores hominum*. Neque enim alii verius piscantur homines, quam qui civitatibus praesidentes exemplo & verbo populos instruunt, & in sagenam mittunt salutis aeternae. Beatas hinc Respublicas fore dicebat Plato, si rectores earum studere sapientiae contigisset. Quod si contendens satis esse sacerdotibus si divinam rem agant, sacra munia obeant, sermonem populo faciant; fateor & ego sufficere sacerdotibus implere suum officium; populis autem dicam multum deesse quibus expedit ab optimo rectore gubernari. Cumque tales esse soleant subditi, quales reges, parum valebit sacerdotis instructio, si contra regis instabit praeceptio. Nam & nobis praedicantibus saepe contigit adversus ea, quae nos sermocinando ex divina lege suasimus, civitatum rectores decreta fecisse. Multo igitur & melius & sanctius regitur populus qui sub bono sacerdote, quam qui sub bono laico gubernatur. Potest enim hic alioquin sacerdotibus adversari, qui non sunt ei circa sacra subjecti. Ille qui praeest omnibus, a se ipso dissentire non potest. Neque illud impedimento est quod bellum gerere aut sententiam sanguinis dicere sacerdotes prohibitos asseris; hoc enim possunt per alios exercere, quemadmodum nec reges per se omnia gerunt. Sed alia belli ducibus, alia rectoribus provinciarum, alia magistratibus urbium committunt. Atque hoc est quod Nicolaus Romanus Pontifex ait: *Cum ad verum ventum est, ultra nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoris usurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, actibus & propriis & dignitatibus distinctis distincta officia potestatis discrevit. Quia sicut Imperatori cujus est arma gestare, hostem ferire, noxium sanguinem fundere, non licet altari ministrare; sic*

&

& illa pontifici negatum est exercere. Assunt tamen Imperatori Sacerdotes, qui divina, cum illi placet, sacrificia celebrant. Neque summo Pontifici desunt laici qui jus dicunt, malefactores plectunt, ac bello propulsant hostes. Quod si pleraeque civitates subjectae sacerdotibus ad exterminium quodammodo deductae videntur, quemadmodum in patrimonio Ecclesiae non paucas novimus, id accidit, vel quia subditi parum fideles fuerunt, novitatibus ac seditionibus gaudentes; vel quia summi Pontifices abusi potestate Regum Imperium in tyramnidem converterunt. Quamquam vastitas illa terrarum Ecclesiae Romanae magna ex parte prius facta est, quam Sedi Apostolicae subucerentur. Suntque Civitates illae, ut nosti, veteres, & ut est vitium senectutis, suapte natura collabuntur. Sic omnia verti cernimus; atque alias assumere robora gentes. Non est igitur, Petre, cur Sacerdotes insecteris, qui civile dominium dono datum acceperint, si modo subditorum saluti consulentes neque divina officia negligunt, neque humana confundunt; atque ut verbo dicunt, sic & opere servorum Dei sese servos esse ostendunt. *Petrus*. Satisfecisti abunde menti meae. Consentio quia non Civitates possidendo, sed male regendo legem Christi Sacerdotes impugnant. Do manus; tuisque monitis acquiesco. *AEneas*. Libentius te hodie, Bernardine, audivi, quam Joannem Paulomarium quondam Basileae. Nam tum laicus eram, & communi laicorum livore cum Petro nostro adversus Ecclesiam sentiebam, neque tam veritati, quam proprie cupiditati auscultabam. Nunc sive altius sentio, sive mutatis affectionibus ea probo quae cupio. Miro me modo tua traxit oratio, neque sentire aliter possum, quam quod tua disputatio suadet. Nam & quamplures fuisse viros sanctos, & miraculis coruscantes tradit antiquitas, qui simul & sacerdotio, & dominio temporali satisfecerunt. Quamvis ergo olim fuisse, & nunc esse non dubitem pene innumerabiles utriusque regiminis neglectores. *Bernard*. Ita est ut ais. Nunc quando satis disputatum est, pergere ocius oportet; via nobis

adhuc longa & difficilis est. *Petrus*. Nondum omnia, quae in dubium ciciderunt absoluta sunt: inter eundum, nisi gravaberis, satisfacere desiderio meo poteris. Prius tamen, si placet, quos amisi perquiram comites. *Bern.* Quasi brevis sit via, neque unius mensis itinere.

Hucusque ex Dialogo Pii quoad ditionem temporalem Ecclesiae: reliqua in Cod. (g)

(g) *Alia manu in Codice Lucensi.*

SE-

SEQUENTIS EPISTOLAE
Argumentum.

Decretae in Conventu Mantuano *in Turcas expeditioni imperator quaerebatur fama, & virtute celebris, qui tantae moli sustinendae par esset futurus. Aptissimus in hanc rem visus est Pio Pontifici Franciscus Sfortia Jacobi, vulgo* Jacomutio *dicti, filius, qui nomen peritissimi Ducis sibi acquisierat ex multis praeliis non infeliciter gestis. Lucem ille viderat anno* 1401. *Neapolitanumque regnum nomine Ludovici Andegavensis administravit, cujus vicibus fungens Bracci exercitum fudit; diù militavit adversus Aragonios pro Joanna II. Regina, ac felicem adeo operam illi contulit, ut tandem Aragonios e regno penitus expulerit. Tum servitiis Ducis Mediolanensis adversus Florentinos, Venetosque militavit, quorum classem in Pado fudit, fugavitque Dein Renato Duci Andegavensi sese addixit, ex quo sibi Pontificis Eugenii IV. odium, & inimicitias comparavit, eundemque in se maxime exacerbavit, quod Marchiae Anconitanae arces plures Ecclesiae eripuerit. Hinc factum ut censuras, armaque ejus Pontificis sustinere diutius cogeretur; sed pessime contra illum Pontificis conatus cesserunt; nam ejus exercitum ingenti praelio commisso dissipavit; legatum & S. Ecclesiae Cardinalem captivum rapuit. Secundum haec, compositis cum Ecclesia rebus suis confoederatorum principum, Pontificis scilicet Venetorum, & Florentinorum exercitum in Ducem Mediolanensem Philippum Mariam Vicecomitem, invexit. Eo duce mortuo anno* 1447 *accitus a Mediolanensibus urbem adversus hostes defendit, sibique & filiis principatum acquisivit. Uxorem habuit Blancam Philippi Mariae Vicecomitis Ducisque Mediolanensis filiam, ex qua filios habuit Galeatium Mariam, qui patri in principatu proxime successit, Philippum Mariam Ticini Comitem. Sfortiam Mariam, Ludovicum Mariam, qui Morus appellatus est, paternumque principa-*

cipatum dein habuit, & Ascanium Mariam ad Romanam purpuram assumptum, & filiam Elisabetham Guillelmo Montis Ferrati Domino nuptam. Haec fusius narranda duxi, ut lux aliqua eloquentissimae huic Epistolae affundatur, in qua gestorum Francisci plura attinguntur. Hortatur in ea Pius Ducem, ut quae tam secunda fortuna diù tractaverat arma in Turcas converteret. Quid statuerit Princeps ignoratur. Senium facile obstitit; agebat enim tunc aetatis annum secundum supra sexagesimum, ac tertio demum post anno 1466. obiit.

PIUS

PIUS SERVUS SERVORUM DEI

AD

DUCEM MEDIOLANENSEM.

QUAE ſcripturi ſumus abſentes, multò libentius praeſentes diceremus; & ſi non tanta terrarum ſpatia nos diſjungerent, convenire, atque alloqui tuam nobilitatem non omiſiſſemus; digna enim res eſt, quae verbis potius, quam literis agitetur; at cum praeſentia corporalis negetur, otii officium ſupplebit epiſtola, quamvis interrogata non reſpondebit, nec ſeipſam tuebitur impugnata. Niſi noſtrae petitionis honeſtas, & ingenii tui bonitas ſpem offerret, non confideremus ſcriptis impetrare quod quaerimus. Quid hoc ſit ſcire quamprimum aves; exponemus cum fiducia deſiderium noſtrum, piaſque cogitationes aperiemus amanti Filio: adverte, atque aures benignas adhibe; chriſtianus es, Chriſtumque Dei Filium colis, cum Patre, & Spiritu Sancto regnantem, unumque Deum in Trinitate Perſonarum, & Trinitatem in Unitate Divinitatis adoras.

Ex MS. Codice Domini Franciſci Valletta Neapolitani, miſſa a Cl. Angelo Maria Bandinio.

Multa, & magnifica ab hoc ipſo Deo conſequutus es bona. Quaecumque in te maxima, & optima ſunt, Dei dona eſſe non ambiges. Licet paululum iſta percurrere. Quis tibi parentem clariſſimum Sfortiam inter belli Duces ſui ſaeculi principem dedit? Deus. Quis te adoleſcentem exercitui, cum Patrem inimica rapuiſſet unda, praefecit? Deus. Quis tibi victoriam de Brachio praebuit? Deus. Quis tibi aut Florentinos, aut Venetos, aut Inſubres, aut Ligures, aut Tranſalpinos Gallos ſuperare conceſſit? Deus. Quis tibi uxorem formoſiſſimam, prudentem, nobilem, fecundam, & magni Principis filiam conjunxit? Deus. Quis tibi Mediolanum ſubegit? Deus. Quis te Fratribus bello claris honeſtavit?

De-

Deus. Quis te pulcherrima sobole dotavit? Deus. Quis tibi validum, & honestum corpus indulsit? Quis te mille ex periculis liberavit? Deus. Quis te ad aetatem, quam pervenisti, perduxit? Deus. Si velim beneficia numerare, quae in te bonitas Dei cumulavit, longiores fuerimus, quam instituimus. Tu illa melius nosti, cujus adolescentia ad rei militaris scientiam non alienis praeceptis, sed suis imperiis non offensionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis est tradita: qui alienis copiis, cum aliquandiù praefuisses, pluraque bella gessisses, quam alii viderunt, aliosque pugnando vicisses, te tandem militarem statuisti, & proprium ducens exercitum, laborando, vigilando, instando, vincendo, ad Regnum usque pervenisti. Ducem te vocat populus, res ipsa Regem esse declarat. Ei enim praesides Regno, quod Longobardi olim tenuere, Civitatum numero, Populorum frequentia, potentia quoque & opibus pluribus Regnis sublimius, atque praeclarius, ultra, citraque Padum regnans, florentemque illam Italiae partem obtines, cui Gallia Cisalpina fuit olim nomen, nunc Lombardia dicitur. Inter Christianos Principes magnus, & clarus haberis; inter homines nostri saeculi unum te fortunatissimum cuncti praedicant. Omnia suppetunt tibi, quae mortales optima dicunt. Nec tu ita nescius es, ut haec tibi adtribuas, quasi tua virtute quaesita. Ex alto concessa sunt. Sine bonis, quae prisci Fortunae dixerunt, nos temporalia vocamus, multos vidimus virtute praestantes. Benignis te oculis respexit Deus, qui tibi, & virtutem largitus est, & virtutis amplissima praemia. Sed quid tu, fili, pro tot, tantisque beneficiis largitori omnium Domino tribuisti? Quid fecisti, ut gratus viderere? Cavisti ne Deum offenderes; an potius tanto licentius vixisti, quanto fortuna tua fuit major? Noli aegre ferre si liberius tecum loquimur; accipe Patris verba in bonam partem: nosce te ipsum, & quae gesseris usque in hunc diem, mente revolve. Gratus ne filius, an contumax, atque rebellis fuisti Deo, cum Romanae Ecclesiae bellum intulisti, & Patrimonium Beati Petri invasisti, nec dimisisti nisi coactus? Quot

te

te Duce, rapinae, caedes, incendia perpetrata sunt? Quot sacraria direpta, atque diruta; & quam fecisti pro tot offensionibus emendationem? Intro aspice conscientiam tuam, vide quis fueris, & quam duxeris vitam: si castus, si modestus, si abstinens, si justus, si praeceptorum Dei custos, bene est. At si lapsus es, si legem Domini contempsisti, debitorem te esse nequaquam ignoras. Cogita ut dissolvas aliquando debitum. Duplex tibi satisfactionis ratio incumbit; altera pro peccatis, quorum tu ipse conscius es; altera pro maximis, & innumerabilibus beneficiis, quae tibi a Deo collata sunt: tempus est tandem, ut satisfacias. Juvenilem egisti aetatem, quantum supersit tui incertum est, impossibile est hominem diù vivere. Dum tempus est dissolve debitum; praesens jam propemodum vita effluxit; inquire alteram, priusquam ista deficiat. Prorsus frustra, nisi dum vivis in hoc saeculo, de altero cogitaveris; totus moriere, in tenebras mitteris exteriores, nunquam visurus lucem, nisi dum in luce praesenti fueris, opera lucis feceris, nisi delicta expiaveris, quae commisisti, & dignam gratitudinem pro susceptis beneficiis ostenderis. Cave, ne voceris ad judicium priusquam satisfacias; occupa tempus, quod adest; occasionem, quae obiicitur, arripe; objecta facultas est, qua facile possis, & debitum tuum persolvere, & vitam aeternam acquirere. Quaeris quonam pacto? Via in promptu est, quam si tenueris, non solum animae tuae, sed gloriae quoque consules, cujus nomen per omnia saecula mansurum ad omnes gentes illustre pervenerit; si neglexeris, infamis fies, Deo & hominibus odiosus. Cogeris facere, quae suadebimus, nisi & nominis, & animae detrimentum perferre volueris. Expectas cum desiderio hanc tibi viam monstrari? Illuc veniemus. Philippum Burgundiae Ducem nosti, Regio Francorum sanguine natum, ditissimis atque nobilissimis Provinciis praesidentem, nulloque nostri saeculi Rege minorem; is audita Bosnensium strage, Regisque gentis ejus miserrima nece, & quod in dies Turcorum vires invalescunt, Christianorum debilitantur, nec jam finitimis Turcorum populis

animus est arma capessere, misertus Christianae Religionis, ne praeda Turchorum fiat, nec sanctum Evangelium conculcetur, corpus suum in expeditionem adversus blasphemam Gentem devovit. Legati ejus ad nos missi adierunt, eum proximo vere, aut in itinere moriturum, aut ad nos venturum; ulterius pro nostra voluntate, sive in Graeciam, sive in Asiam profecturum, bellum Turcis illaturum. Hujus te sequi viam optamus. Quod hic facturum se offert, idem ex te desideramus; arma in Turcos capimus, non es senior eo: quod ipse polliceur, recusare non potes: dimidio brevior tibi superest via; nec nos te sub alio quovis Imperatore militaturum quaerimus. Dux eris & moderator exercitus. Hic Philippus, quamvis nobilissimus & altissimo sanguine natus, ducatum tuum non dedignatur. Cum vero expedit, ac magnopere desiderat in Turcos pugnaturo te sibi Ducem fore; salutem Populi Christiani quaerit, non gloriam suam. Novit quantum in bello valeat auctoritas, atque felicitas Imperatoris, quantque te faciant in armis, tum cives, tum hostes: non ignorat, cui ad res militares bene, feliciterque gerendas divinitus quaedam semper adjuncta prosperitas fuit. Unum te esse confidit, qui ducere scias exercitum, ac reducere; qui hostium praevenire consilia noris, atque omnes insidias evitare; notum esse in Turcis tuum nomen non dubitat; quod si te praesentem in castris acceperint, non minus auctoritate tanti viri, quam robore magni exercitus terrebuntur. Rectè ab Oratore scriptum est, ad administranda bella vehementer pertinere, quid hostes, quid socii de nostris Imperatoribus existiment, cum opinione non minus famae, quam certa ratione homines moveantur. Quibus rebus optat Philippus, optamus & nos maximae expeditioni, quam paramus in Turcos, ne corpus tuum, nec te deneges Ducem neve tuam auctoritatem, felicitatemque subtrahas. Princeps, quae sunt digna Principe cogitabit, ut inquit sapiens; amplectere hoc munus tua virtute dignissimum, gloriose Princeps, nulla res est, in qua te possis aut laudabilius, aut gloriosius exercere. Respice statum christia-

stianitatis. considera quae nunc est Christiana Religio, & quae olim fuit. De sanctis Apostolis prophetizavit Dominus, quod in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum; nec mentitus est; disseminatum Evangelium omnes implevit terras, Christo totus paruit orbis: vides quo sumus reducti; vix angulum Europae servavimus. Jerosolymam perdidimus, in qua Jesus pro salute nostra Crucem pertulit. Sepulchrum illud, sacrumque lectum, in quo propter nos vita nostra obdormivit in Domino, spurci, & foedi Mahumetis observant cultores. Miserrima conditio Christianorum, qui & Domini, & Dei sui sepulchrum, nisi Saraceni permittant, videre non possunt! Antiochiam, in qua sedit Beatus Petrus antequam Romam peteret, & Damascum, in cujus agro creditur Adam fuisse formatum, & septem Asiae Civitates, in quibus praedicavit Joannes Apostolus, & omnem Asiam, Syriam, Mesopotamiam, Persidem, Mediam, ulterioresque gentes Mahumethaeus occupavit error, qui natus in Arabia AEgyptum infecit, & Alexandriam Beati Marci sedem, Evangelicae doctrinae felicem olim scholam, optimarumque artium & omnium literarum nobile sacrarium corrupit; Cyrenem pervasit, & aemulam Romanae Urbis Carthaginem, omnemque Lybiam decipiens, juxta Mauri amam, Gaditano transmisso freto, in Hispaniam usque pervenit, cujus in hanc diem pars Beticae paret, quam Granatam vocant. Ex Asia quoque in Graeciam Mahumethae transivit insania, nec tantas impedire blasphemias *Hellesponto*. (*a*) Contendentibus de Imperio Graecis, civili dissensione grassante, Patrum nostrorum memoria, Turci Galliopolim, & Antinopolim, cunctasque alias Civitates, & in Thracia, & in Thessalia, & in Attica, & in reliqua Graecia invaserunt. Novissimè diebus nostris Orientalis Imperii caput, & columen Constantinopolis in Turcorum potestatem pervenit, quam prisci novam Romam appellavere, Patriarchali sede, atque Imperiali throno gloriosam. Quae ante hoc tempus a Christiano nomine nunquam abhorruit, nunc non sine magno dedecore no-

(*a*) f. *Hellespontus potuit.*

nostro amissa est. Neque hic nostra calamitas finem habuit, Bulgariam totam perdidimus, & Rasinam, & Serviam, & quidquid terrarum ab Antinopoli inter Savum amnem ac Danubium interjacet. Vallacci quoque ultra Danubium quaesiti non pauci ad Turcos defecere. Ex altera parte, qua potissima nostris mercatoribus maria infunduntur Peloponnesus amissa est, arx Graeciae quondam vocata, & Achaja, & Acarnania, & Epyrus, & Macedoniae major pars; & hoc tandem anno, proh pudor! Bosna capta est, & Lesbos absque humani sanguinis effusione, at non absque contumelia christiani nominis, ac injuria magni Dei Sanctaeque Trinitatis. In captivitate Constantinopolitana Constantino Imperatori abscissum caput, hastae fixum per Civitatem, & castra delatum est, nobilitas caesa, Sacerdotes crudeliter laniati, plebs venundata, & servitia in Asiam missa, sacrae virgines incestae, matronae, & puellaeen passae, quae victoribus libuerunt, sacra loca foedata, atque diruta, nobile sanctae Sophiae Templum, Justiniani Caesaris opus toto Orbe memorabile, spurcitiae Mahumethae reservatum, imagines Dei, ac Sanctorum deletae, Divina, & immortalis Trinitas publice blasphemata, Crucifixi simulacrum per derisionem in castra portatum, sputo, luto, atque omni foeditate provolutum. Nec minora in aliis locis perpetrata, Bassianis Principibus, quos Despotos vocant, eruti oculi, optimates gentis suffixi palis, aut gravioribus affecti suppliciis. Non est memoratu facile in subactis Provinciis quantam exercuerint Turci saevitiem, quanta in Christianos immanitate sint usi. Apud Caracusiam Insulam, & Mithilaenem crudeliter trucidarunt Italici generis puberes omnes, & acutis transfixere palis, Graecanicam plebem vendidere sub hasta; in Bosna quoque Stephanum Regem, qui salutem pactus sese dederat hosti, Mahumetes ipse humani sanguinis insatiabilis & omni bestia truculentior sua manu obtruncavit, & cum eo nobilem Patruum pari crudelitate peremit, viros omnes potentiores conjecit in vincula, in foeminas nulla modestia usus est, in sacris nulla reverentia,

Po-

Populus in servitutem abductus, vastata regio, divina & humana pariter deleta. Haec facta sunt nostris diebus, & tacuimus, & tacemus; quid enim restat, nisi ut in Italiam veniant? Non est multum itineris ex Bosna in Forum Julii, nec valde difficilis aditus: Carni sunt Medii, nec potentes populi, non altis tuti fluminibus, nec asperioribus clausi montibus. Si velit itinere terrestri Italiam invadere Turcus, non longe abest; si maritimo LX. millia passuum, aut amplius paulò ex Avlona Brundusium navigatio patet. Quid tibi videtur, Fili, parva ne censes quae Christianis Turcus intulit mala? Futura ne cernis pericula; numquid non praeteritas vindicare injurias decet, futurasque praecavere? An impune Christianae Religioni illuserit Turcus, divinumque nomen blasphemaverit? Quamvis non est divina Majestas quae laedi possit, aut minui; nos tamen blasphemias Dei, atque Sanctorum multas ferre non decet. Multa in veteri Testamento exempla leguntur, quae nos admonent illatas Domino contumelias vindicare. Non tulit Phinees adulterantem Jambrim, in zelo Domini scortum, atque ipsum interfecit; Nec Mathathias sacrificantes Idolis toleravit Hebraeos, cum septem filiis robustissimis Antiochi profanatoris aram dejecit, dicens, melius est mori in bello, quam videre mala gentis suae ac Sanctorum. Non est verus Christianus, qui non est fidelis; non est dignus honore, qui sine conturbatione blasphemias audit. Si clientulus, si subditus, si libertus noster, si servus violatur, irascimur, arma capimus, vindictam exposcimus; & pro contumelia Dei non commovebimur? Si propinquo, si amico aliquid agri sublatum est, vires cum eo jungimus, atque omni conatu, studioque recuperare perdita nitimur. En quantum agri, quantum possessionis, quantum imperii Domino nostro ablatum est Christo Jesu, nec de recuperatione cogitamus. Ingrati filii sumus, & hereditate Domini prorsus indigni, qui tanta desidia, atque torpedine, quae illi sunt ablata, negligimus. Quid perdita commemoramus? Utinam solliciti servare quae restant. In angulum Europae redacti sumus, neque hoc tueri co-

na-

namur. Urgent in dies Turci, murus noster Hungaria quatitur; hac expugnata, Germani cladem expectant, & Itali; quamvis ad nos, ut diximus, aliae portae patent. Nulla dies praeterit, quae non aliquid auferat Evangelio; perimus in horas, & non sentimus, lethargum patimur, dormientes morimur. En, Fili, en Princeps nobilis; potes ne ista audire, & non commoveri? Minime quidem, te audio ferum aut ferreum esse. Angeris, ut arbitramur, haec audiens, nec potes de communi salute non cogitare. Verum de communibus rebus communia cogitas, & quasi de communi sorte sis unus, ea facturum te polliceris, quae facient alii. Non hoc volumus, plus aliquid poscimus: ex viro singulari singularia petimus, ex raro rara. Philippo te socium cupimus in exercitu videre praesentem ducere copias, ordinare acies, signum praelii dare, hostes invadere, urgere, profligare, ac prorsus delere desideramus, hunc te numero adcingas oramus; hunc laborem, & quae sunt in eo pericula: praecamur ne fugias Sic te Deo gratum ostendes, sic tua peccata purgabis, sic fama apud omnes clarebis, & nulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet. Dices, te satis gloriae nactum superioribus bellis, extare victoriarum tuarum multis in locis trophaea, quae te fama super aethera vehant; quae clarissime gesseris permulta in omnium ore versari, Poetas, & Oratores in tuis celebrandis laudibus desudasse, jamque publicas Historias, & Poemata legi de tuis operibus edita. Bella, quae hactenus gessisti, fili, quamvis multum tibi peperere laudis, quae fortitudinem, patientiam, vigilantiam, celeritatem, industriam, consilium, ceterasque virtutes tuas patefecerunt, plurimum tamen ab iis distant, quae nunc gerenda proponimus. In illis privatam utilitatem *sectaberis* (*b*), in istis communem investigabis; in illis temporale Regnum quaesivisti, in istis aeternum adipisceris; in illis non fuisti sine peccato, in istis ab omni peccato mundaberis: illa cupiditatis fuerunt, ista Religionis erunt; illa hominum, ista Dei. Quamvis praeclara sunt quae gessisti hactenus, leviuscula tamen videbuntur ad ea comparata,

(b) f. *sectabe-ris*.

ta, quae nunc facienda proponimus, quae non solum fecisse, sed valuisse facere beatitudinem praestant. Quantum divina praecellunt humanis, tantum bella pro Christo suscepta ea superant, quae hominum causa, seu regnandi cupiditate gerimus. In istis versatum pleno te ore, & qui nunc vivunt, & posteri laudabunt. Ad haec aetatem fortasse objicies: sinite me, jam sum gravioris aetatis, inquies, quietem carnosa membra deposcunt, non sum aptus galeae, thoracem ferre non possum. Deo gratias agimus, quod tibi hanc excusationem ademit; divino munere sospes es, & optime vales, multò te seniores militavere. Massinissam octavo, & octogesimo anno, nullo adjutore consedisse equum & munera obiisse militaria; Sigismundum Caesarem vidimus supra sexagesimum annum castra sequentem. Quid vetera, aut externa quaerimus? in familia tua extant exempla. Micheletus, patruus tuus Florentini Ductor exercitus, ad nonagesimum annum militando pervenit: non excusat aetas Ducem. Militiae assuetos homines equo insidentes, magis quam lectulo incubantes mori delectat, atque idcirco sine languoribus plerumque vitam finiunt. Desiccat humores malos labor, nec artitricis finit locum esse doloribus: & fortasse tua nobilitas si pro sua consuetudine militiae insudasset, laboresque castrorum pertulisset, neque ad urbanum otium se redegisset superiore anno aegrotatione illa caruisses, quae te prope exinanivit. Crede nobis Fili, longe sanius in negotio vives, quam in ocio. Castrenses labores atque vigiliae, exercitatio, sudor, & inter quas nutritus es aetatemque fere omnem duxisti, militiae, molestiae, atque anguitiae diutius te in vita conservabunt. Noli accusare aetatem, quia non es Philippo senior; multi in ea aetate, in qua es, castra sequuntur; & Princeps quidem Tarentinus multo te natu grandior, & hoc anno, & superiore fuit in castris; ille in profana privataque causa exercere, fatigareque senium non recusat; & tu in communi, divinoque opere aetatis obtentam excusationem praetendes? Tuum ingenium, tuam industriam, tuos oculos, qui videre omnia in bello solent, non tui corpo-

ris

ris robur, tuasque manus quaerimus. Consulere, monere, imperare tuum erit. Juvenes lacertos exercebunt & fortia pectora obiicient hostibus. Noli negare nobis praecelsum animum tuum, absit excusatio aetatis, ubi cum senibus est eundum. Erimus & nos, si Deus dederit, in hac expeditione praesentes, non solum aetate, sed etiam morbo graves. Stat animus caniciem nostram huic militiae consecrare, & inutile corpus ei restituere, qui dedit. Nil valemus in bello, quis nescit? Spectare praelium possumus, nec dignitas nostra est, cui competat, ferrum stringere, quod ejus loco tenemus, cui dictum est a Domino, *Mitte gladium tuum in vaginam.* Principes saeculi ensem exercere nostro jussu debent; nostrum est pugnantibus pro Religione benedicere, divinumque imploiare favorem, & hoc quidem sedulo faciemus. In monte aliquo, aut ex alta puppi spectabimus praeliantes, & instar Moysi precibus, & orationibus incumbemus, dum tu, ac Philippus acies ordinabitis, & robustissimi milites manum conserent. Ibimus Crucem Domini praeferentes, sequemur. Sanctissimum Christi Corpus, Sanctorum reliquias adducemus in hostes Christianae Religionis. Caput, & ornamentum, & suprema Majestas ibit in bellum. Quantus sit fidei zelus, quantaque virtus Christianorum nunc palam fiet. Si non sequuntur Christum Deum qui Christiani vocantur, apparebit eos falsum induisse nomen. Nos tamen, te comite ac Philippo iter agemus; ibimus, ibimus in hac expeditione; ne dubita; senes sequemur senes, & hanc notam nostri saeculi Regibus, & Principibus relinquemus, ut exeuntibus ad bellum pro Religione senibus, juvenes domi manserint. Memorabile in posteros opus; forsitan & aliqui verebuntur infamiam juvenes, & nostra castra sequentur. Plura de hac aetatis excusatione diceremus, nisi perspecta esset animi tui generositas; quaeque maxima sunt, & claritatem praeseferunt haud difficile suadentur. Nec nos tuum judicium formidamus; consiliarios tuos, & uxorem, & amicos, & liberos, non teipsum timemus. Scimus egregiam mentem tuam sentire nobiscum; ardua cupis, & alta, nec animo tuo quid-

quidquam majus est. Sed aderunt consiliarii, aderunt & amici: Quid agis, maxime Princeps, *inquiretur* (c), quo te is perditum, in Graeciam navigabis, Turcis inferes bellum, & Regnum tuum nobilissimum atque opulentissimum, tanto labore quaesitum hostibus dissipandum relinques? Et quis illud te absente tuebitur; uxori ne committes, an Filio? Nunquam satis in foemina praesidii fuit; filium adolescentia prohibet administrari, an nescis quot circumstant lupi rapaces; difficile custoditur quod a multis quaeritur. Ducere te florem militiae oportebit: quis fines defensurus domi manebit? Insidias nosti finitimarum gentium, & unde timendum sit tute melius nosti. Cave, ne dum alienas opes lucrari pergis, amittas tuas, & liberi tui, pulcherrima soboles, in spem regni nati educatique, domo expulsi tandem panem mendicare cogantur. Si corpus tuum, si te ipsum parvi facis, at saltem liberis tuis consule, qui te abiturum in hoc bellum nunquam amplius videre sperant, & jam jam te simul ac Regnum *videatur* (d). Haec suggeret tibi, non dubitamus, magna pars eorum, qui latera tua stipant, & qui tuo favore lauti facti & potentes. Ex purpuratis tuis alii expensas formidabunt, alii labores, alii pericula; pauci erunt, qui talia consulentes, non sibi magis quam tibi consulant, quamvis de tuo periculo, non de suo sese anxios ostentabunt. Sed age, bone Princeps, expendamus haec consilia, nos *tamen* (e) ab illorum opinione distamus, ut, quae illi formidanda putent, nos tutissima censeamus, nec vereamur asserere. Principatum tuum securiorem futurum in causa Dei, te absente, quam si domi delitueris. Remanebit uxor tua, nobilissima mulier, quam subditi omnes colunt; remanebit Galeatius, spes unica gentis Insubrum, magnanimum illum, ac sapientissimum olim Ducem Patruum suum nomine referens, cujus memoria ex cordibus Longobardorum deleri non potest. Unus illis timor forsitan ex Francia: at Rex ille Francorum, cujus Christianissima propago dicitur, nunquam eo errore adduceretur, ut Regnum tuum invaderet; dum Christo militas, cavebitur quomodo & huic parti securitas tibi ab illo fiet. Quid de Venetis di-

(c) f. *inquietur*.

(d) *sic*.

(e) f. *tantum*.

dixerimus: an hos vereri oportebit, quorum saluti consules? Rem Venetorum ages, & illorum arma timebis? Non coeunt ista simul, nec consonant; quin potius, si quid rubiginis est inter Senatum Venetum, & tuam Excellentiam, si quid suspicionis, si quid simultatis, totum hoc tuo itinere auferetur; obligabis tibi, & posteritati tuae Venetos; aeterna erit illorum erga tuum genus charitas, ac benevolentia, parvi labore temporis in multos annos tuis posteris consules. Et quid erit timendum domui tuae hinc Venetis, hinc Francis securitatem promittentibus? Adde Florentinorum vigilias, ac diligentes excubias, quorum permaxime interest in tuis tuorumque manibus servari Mediolanum. Illi subibunt curam, ne quid detrimenti per absentiam tuam res Longobardicae patiantur; illos tuis finis adjutores, patronos, ac tutores relinques; illi non minus de salute domus tuae, quam tu ipse, solliciti erunt. Ipse praeterea Deus Omnipotens, & Dominus noster Jesus Christus tuorum Filiorum custos erit, tutamque tibi Familiam, & salvum Principatum conservabit, nec cum suam agites causam, relinques ipse tuam. Sed aere alieno gravatus sum, ais, tantosque subire sumptus nulla ratione potuerim. Immo vero haec unica via est, qua possis dissolvere debitum; diminues sumptus, non augebis. Quamplurimi te sequuntur suo aere militaturi. Deus ipse tibi adjunget milites. Multis modis licebit pecunias ad hoc bellum quaerere, scis quae majora meditata fuere: & illa, & alia in medium venient. Jacta cogitatum in Domino, & ipse te enutriet. Non deest argentum Deo, cujus sunt omnes thesauri terrae. Inveniet Ecclesia quo pacto necessaria tibi suppeditet. At durum est, inquis, dulces relinquere natos, & amatam conjugem, & Urbis opulentissimae delicias. Assuetus Regno, voluptatibus Regni carere non potes; non petimus, nec ita relinques, quasi nunquam recuperaturus. Carere ad breve tempus iis te commodis volumus, moxque ad ea reverti quae dulciora sunt intermissa gaudia: Voluptates commendat rarior usus; post laborem gratissima quies, suavissimus post vigiliam somnus, sitis potum approbat, cibum fames, marce-

cescit in otio virtus; redeunti ex bello tibi & suaviora videbuntur, & meliora. Si revertar, inquis; quid si moriar? Recta in Coelum ibis peccatis exutus omnibus, & nulla pristinae sordis inquinatus macula. Beatus, vel qui in bello ceciderit, vel iturus ad bellum in via fuerit morte praeventus: pari apud Deum lance ponderatur, & qui Templum ejus tuentur, & qui totis viribus tueri adnituntur. Voluntatem inspicit AEtereus Judex, magis quam opus. At domi velles mori; tanquam mollius ossa cubent manibus tumulata tuorum. Vana isthaec. Facilis jactura sepulchri. Consulendum est animae magis quam corpori; nec utcumque moriaris multum interest; honesta mors quaerenda est, non pompa sepulchri. *Speciosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Sanctos Domini nemo esse dubitat, qui pro Testamento ejus moriuntur, qui pro Religione pugnantes in bello cadunt. Si omnibus, qui Patriam auxerint, juverint, defenderint, certum est esse in Coelo definitum locum, in quo aevo sempiterno perfruantur, quemadmodum Philosophi tradiderunt; quid de illis dicemus, qui pio Republica Christiana tuenda, pro fide Catholica amplianda, pro Sancto Evangelio conservando animam suam posuerint? Quis dubitet in coelesti Regno cum beatissimis Spiritibus lucidas iis sedes constitutas esse? Credendum est sacris eloquiis, quoniam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quod promisit Deus diligentibus se*, & quoniam *non sunt dignae passiones hujus saeculi ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Cave, Fili, ne uxor domi te detineat, vel filiorum, cognatorumque caritas ac Regni delectabile culmen. Noli pro Deo grave ducere iis ad tempus carere, quos tandem invitus cum Deus voluerit cogeris relinquere. Si nunc demiseris, jubente Domino, cito recuperabis dimissa, & ampli aeterni Regni promissionem accipies. Si hanc jussionem neglexeris, dimittes tandem aliquando & uxorem, & liberos, aut ipsi praemorientes te dimittent. Regnum quoque relinquere oportebit, nec recuperationi locus erit. Incertum quo sis iturus: nam quae spes futuri Regni esse potest ei, qui vocatus ad Regnum

 ire

ire contempsit? Timenti tibi, fili, timemus vehementer, si non audias vocem Dei, qui te ire in Turcos jubet. Jam aetate grandis es, ut ais; quanto vixisti diutius, tanto minus superat vitae: emerenda est altera, prius quam ista deficiat. Cave ne decipiaris ab his, qui animam extingui cum corpore putant, & alterum negant saeculum. Credendum est sacris semper veteribus sermonibus Deum esse dicentibus, qui hominum opera bona praemiat, mala punit, & impios igne exurit inextinguibili, pios indefectibili luce donat, beatosque reddit, quod non solum nostri Theologi docent, sed Philosophorum quoque peritissimorum libri confirmant. Consule tibi, & noli cum feliciter in hoc mundo vixeris, in alio miserè esse, in quo sine termino vivitur. Sed opinaris fortasse difficillimum tibi offerri bellum, ex quo victor nequeas aut honoratus reverti. Audivisti multa de Turcis, & Imperio Mahumetis, quod terra, marique late pateat, & quod innumerabiles exercitus cogere Turci soleant, qui Asiae dominentur, & Graeciae, & argenti divites facile desiderium suum expleant. Quid valebunt nostrae vires, ais, adversus tantum Imperatorem? Dicemus breviter; quamvis magnam esse Mahumetis potentiam non negamus, minus tamen est, quam fama feratur. Excedit rumor rerum; innumeros, fatemur, exercitus cogere potest, verum debiles, imbelles populi, & prorsus effoeminati. Graecia, quae quondam robustissima fuit & Orientis Imperium vindicavit, omnium hodie gentium vilissima, & abjectissima est. Asiaticos mulieres potius, quam viros dixeris, inermes ad praelium eunt, parma tantum, & arcu muniuntur; non cathaphracti equi visuntur, non galeati equites, rara lorica cernitur, rarior thorax; ense recurvo, caesimque pugnant. Quis robusta Turcorum corpora dicat? nuda sunt tamen, & armis tecta debilioribus. Quid facient miseri cum in nostrorum eqnitum cohortes inciderint, & asperas ferro hastatasque acies incurrerint? Aptissima caedi turba est, tanquam pecudes mactabuntur. In mari, non est Turcorum classis, quae Venetam ferre queat; in terra Hungaros formidant. Quid facient cum Italos,

&

& nostrae splendorem militiae viderint? Hactenus cum Graecis pugnavere, & inermibus Populis; ubi ad nostros ventum fuerit, sentient quantum distent a mulieribus viri. Quidquid in Thracia, Misia, totaque Graecia, & ubi circa Hellespontum advenae Turci sunt & hospites, pauci pro multis *nunc* (*f*) diliguntur a subditis; quis enim eum diligit dominum, qui suae Religionis est hostis, & a quo miserrima premitur servitute? Olere Graeci Turcos quasi spes eis fiat recuperandae libertatis: facile nostris armis illos eiicient recens capti Bosnenses, Servii, Balciani cito ab eis deficient. Albani praesto sunt nobiscum arma conjungere; maritima classis modo unam Provinciam (*g*), modo alteram infestabit. Hungari per Basciam, & Bulgariam penetrabunt. Sunt & in Asia viri potentes, Camaranus, Ciliciae Tyrannus, & alii complures Mahumethis inimici, qui eum a tergo ferient. Non sufficient vires ejus tot loca tueri, & tantis apparatibus respondere. Vexillum Crucis, Christianique signa certissimae copiae sequuntur Hungarorum, Burgundorum, Venetorum, Albanorum tuaeque, si veneris, & nostrae, & illorum, qui coacti serviunt Turcis, quamprimum poterunt jugum excutere. Alios praeterimus, qui suopte ingenio, & non vocati venient, cum increbuerit fama te simul, ac Philippum cum Venetis. Hungaris, ac Romano Pontifice expeditionem pro Religione parare. Videbitur Ludovicus Franciae Rex, qui se Christianissimum vocitat, in eo exercitu suos non apparare Francos, qui pro Christo pugnaturus ingreditur. (*b*) Pudebit eum, pudebitque ceteros Reges, cum tu eas, ac Philippus, & nos vivificae Crucis signum perferamus defensioni Fidei, auxilia non praebere. Venient plures quam credamus. Alios Religionis zelus adducet, alios cupido gloriae, & magna videndi aviditas trahet. Alii cum domi tuti esse non possunt, honestum sibi exilium eligent. Quosdam invitos militare Domino Reges cogent, ne domi seditiones excitent. Non dicitur Christo unde suum possit parare exercitum, atque supplere. Accinge igitur, Fili, in hanc gloriosam expeditionem te ipsum quantocius; neque hoc bellum devites, quod nos

(*f*) f. non

(*g*) Locus depravatus.

(*b*) Locus non sanus.

te

re debiliores adituri sumus, & Philippus senior ingressurus. Esto gratus Domino pro beneficiis tibi collatis, consule animae tuae, dum tempus habes: redime peccata, quae commisisti hoc tam praeclaro facinore, quod tibi proponimus. Amplectere oblatam gloriam, ut hanc tantae laudis haereditatem tuam relinquere posteris valeas. Consule periclitanti Religioni, & hoc bellum tam necessarium volens, libensque subito, in quo si te Ducem praebueris, certam nobis victoriam de immanissimo Dracone pollicetur Dominus; si absfueris, nescimus. Quid nam sperare possumus? Et magnam tui nominis timemus infamiam. Nec dubitamus, quin Domini Salvatoris tui indignationem incurres. Consolare nos, & universam Christi Ecclesiam, concedente Deo, in hoc sanctissimo bello; suscipe demandatam Provinciam laeto animo, quae te gloriosum in terra faciet, & denique regnaturum assumet in Coelum. Filiis vero tuis, & Natis Natorum, & qui nascentur ab illis Regnum perpetuo confirmabit misericors Deus, qui tuos usque in hanc diem feliciter gressus direxit, & in cujus manu sunt corda Regum, det tibi eligere, quod suae voluntati sit placitum, Te, tuamque domum bene custodiat.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MCCCCLXIII. V. Kal. Octobris. Pontificatus nostri Anno VI.

IN SEQUENTEM EPISTOLAM

Praemonitio.

Borsus Estensis Nicolai Ferrariae, & Mutinae Principis filius, & Leonelli frater, cui in Principatu successit anno 1450. exclusis Leonelli filiis utpote Principatui nondum aptis, vir fuit excelsi, & generosi animi, liberalis, ac munificus, quas virtutes insigni in regendo prudentia ornavit, & illustravit adeo, ut quamquam illegitimo conjugio ortus, natus tamen ad Imperandum videretur: quod non ita saepe accidit in spuriis. Principatum tamen non injuria obtinuit cum regimen illi ultro detulerint Optimates Ferrarienses ac Mutinenses, eorumque judicium Ferdinandus III Imperator & Pius II. Pontifex, dein approbaverint. Pontificum Nicolai V. ac Pii II. amore fruebatur, quamquam Pii in illum caritas paululum refriguit, ut ex epistola mox promenda discimus. Hanc ego mihi descripsi ex Bibliotheca Vaticana Cod. 6836. membranaceo in 8. Ignota fuit omnibus hucusque scriptoribus, & cum luce dignissimam judicaverim hic promendam statui. Quid Pontifici in Borso displicuerit facile ex ejus lectione intelligimus; visus est enim plus nimis favere Andegavensibus contra Ferdinandum Aragoniae Regem in dissidio notissimo de Neapolitano Regno. Sufficit haec indicasse; caetera ex epistola intelligimus. Obiit vir aeternitate dignissimus anno 1471. die xx. Augusti.

Pius

Pius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili Viro Borsio Estensi Duci Mutinae, & nostro in Ferraria Vicario salutem, & Apostolicam Benedictionem,

Ex Vatic. MS Cod. m. 6886. Membr. in 8.

NEmo verum de se minus audit, quam publica Potestas; quae quanto major est, tanto magis fallitur. Experti sumus hoc in nobis ipsis, qui postquam Beati Petri cathedram vel indigni conscendimus, perraro accepimus, qui folium Sybillae nobis recitaverint. Cecidissemus inter multiplices adulantium laudes, & multa ac multa de nobis credidissemus maxima & falsa, nisi ex humili loco ad hoc sublime solium pervenissemus, & versati diu apud Reges, quibus artibus in auratis palaciis viveretur percalluissemus. At tu cujus & pater, & avus, & longa serie majores, & frater fuere principes, facile caperis adulantis hamo, & nihil te laudanti non credis. Probat hoc epistola, quam misisti Antonio oratori tuo apud nos agenti, in qua tot sunt praeclara de te ipso testimonia, quot verba. Nihil est enim illic quod in tuam praecipuam laudem non vergat; & tamen a te dicta deprehenditur, & tuum sermonem redolet. Jussisti ut nobis ostenderetur. Legimus eam, quamvis longissima est, non semel, sed iterum. Fuerunt enim & quae cum voluptate, & quae cum molestia audivimus. Quibus abunde consideratis, coacti sumus etiam inviti aliquid respondere, tecumque non adulantis, sed pii patris more agere, nullamque boni pastoris partem relinquere. Vera erunt verba nostra, etsi fortasse dura videbuntur. Sed melior est amara veritas, quam dulce mendacium. Tu si sapies, ut speramus, cuncta in partem accipies meliorem. Audi ergo, Fili, & gaude, quia non impinguamus oleo caput tuum, sed acri potius ranno lavamus.

Que-

Querelis, & purgationibus plena est epistola tua. Verum nec juste quereris, neque rite purgaris. Monstrabimus ista per partes, his captis, quibus magis instas. Principio enim literarum tuarum illud graviter ferre videris, quod Antonio legato tuo, & Surroni germano pleraque diximus, quae tuo nomini detrahunt, & honorem suggillant; & ponis tu ipse verba, quibus nos usos dicis. Nolumus ea repetere, ne replicata cicatricem aperiant, fiantque ipsa rememoratione duriora. Per ea existimas nos jam te judicavisse non auditum, quod nec Deus fecerit: acsi velis judicii ordiendam telam monstrare, & nandi artem docere pisces. Nos assidue versamur in judiciis, & ubi sit citatio necessaria non ignoramus. Scimus quo pacto notoria, & quo pacto dubia judicantur. Nondum contra te sententia ulla promulgata est, nec judicium intentatum, nec querela adversus te publice proposita, nec tuus honor laesus. Sed cum accepissemus te multa moliri adversus Ecclesiae Romanae statum, & inimicis nostris consilio, auxilioque adesse, nec deessent ingentissimae conjecturae, id rumor, qui raro mentitur, publicus comprobaret, accersivimus oratores tuos Surronem, & Antonium, deque tuis actionibus conquesti sumus. Diximus non placere quae contra nos, & Romanam Ecclesiam moliebaris, & plerosque de tuis moribus reprehendimus, mandantes ut monita nostra ad te deferrent, & te meliorem conarentur efficere. Non tenemus verba ex ordine quae diximus. Nescimus an iis vocabulis usi simus, quae in tuis literis inservisti. Illud scimus, quoniam *sbecacciatum* (a) nunquam te appellavimus, quod verbum in sermone latino, quo utimur, non invenitur. Possibile est inter conquerendum nos vel infidelitatem accusasse tuam, vel levitatem, non ut infamem te redderemus, aut tuae familiae gloriam offuscaremus, quam semper magnifecimus, sed ut emendaremus errores tuos, & te reduceremus in viam. Nam cum illos alloqueremur, teipsum videbamur affari, atque monere, ut deinceps caveres Ecclesiam laedere, & tuae parenti adversari, & ne promitteres quae nolles implere, quia in altero proditionis, in altero le-

(a) *Sbocento Itali vocant hominem impudentem sermone.*

levitatis est crimen. Tu haec quasi judicia recipis, & injuste actum existimas quod sine processu damneris. Paterna sunt haec monita, non judicia. Servavimus evangelicam legem, & quod illa in fratre jubet, fecimus in filio; qui cum te alloqui non possemus in nos peccantem, convenimus oratores tuos, & semotis arbitris diximus quae de te acceperamus, ut te tandem corrigeres. Nam quod illis dictum est, perinde accipere debes ac si tibi fuisset dictum: tu perinde habes tanquam ecclesiam adhibuerimus, quod ad ultimum reservamus, ne violemus evangelium. Inique agis qui tuo detractum honori censes, quasi te publicè criminati simus, quod minime verum est. Neque in collegio Cardinalium unquam, neque in aliis conventibus de te verba fecimus, nisi magnifica, & honestissima. Supplicia, & quidem acerba, & quasi mortalia vulnera vocitas monita nostra, & ais te perpeti non posse. Cogitasse legationem hac de causa insignem mittere, quae tuam innocentiam ostendisset; postea mutasse consilium, quia sufficeret orator ad expurgationem istiusmodi; & praesertim cum non dubites decem Cardinales etiam in publico Consistorio adversus nos pro tua defensione assurrecturos & tuae adstipulaturos innocentiae. De missione legatorum tuum fuit arbitrium. De Cardinalibus, vide quid dicas, viri tum graves, tum justi sunt, nec pigebit eos contra nos veritati praebere testimonium. At si veraces sumus, libentius pro nobis contra te stabunt; nec nos eorum assertiones recusabimus. Et si perges experiri judicium, contentabimur, ut inter te, nosque judices fiant. Nam si te volueris expurgare, magno labore opus erit, & arte magna: siquidem ubi macula impressa est, ad bene tergendum multa laborat aqua. Cupis ut te hostem declaremus potius quam hoc pacto tuam existimationem imminuamus, nam fidei non tantum nostris incllet assertionibus. Nos quamvis tua opera id videremur expoltcere, non tamen adhuc eo properandum censuimus, ut te hostis loco haberemus; sed beneficiis, & gratiis prosequi maluimus, ut vinceremus in bono malum, sicut jubet Apostolus, sperantes quod aliquando teipsum cogno-

gno-

gnosceres, & pii Pontificis benevolentia uti scires. Contra evenit; prorumpis in verba desperationis plena, & asseris te perpeti non posse improperia nostra, quaesiturumque modos, quibus his molestiis exuare, sive amicos, sive inimicos experiri debeas, & traditurum alteri Ferrariae claves, mutaturumque domicilium; atque hoc esse magni animi, cui carior est honor quam dominatio. Nimium delicatus es, si non quis tui Domini perferre monita, & si mavis privari dominio, quam reprehendi. At si probaveris alienum dominium intelliges quid sit Ecclesiae subesse; quocumque te vertes, poenitentia praesto aderit. Facis more hominum quibus contemptui est mite imperium; dant tamen aliquando contemptores poenam: Tu si sapies non quaeres meliorem panem, quam triticeus est; nec progenitorum tuorum vestigia deseres, nec moleste feres tui Domini reprehensiones, etiamsi fuerint indignae; nec magni animi judicabis Principatum relinquere. Dionysio Syracusarum Tyranno in arce ab hostibus clauso, & nullam spem retinendae potestatis habenti, cum Polixenus socer consuleret ut velocissimo equo conscenso intra fines Carthaginensium se reciperet; damnavit id consilii Philistus, qui postea historiam conscripsit, atque ait: *haud expedit tibi, Dionysi, equo vectum sponte extra dominationem evolare.* Eloris quoque, inter amicos Dionysii non infimus, idemque pacta, dominationem inquit honestissimum esse sepulcrum. Non est nobis dubium quin horum sententia tuae menti magis amica sit quam Polixeni, quamvis aliud verbis exprimas. Tuo tamen ex animo pendent omnia quae diximus; & tui est arbitrii ea vel facere, vel negligere: exitus ipse ostendet an sis ejus excelsi animi, quem laudas.

Expurgationem deinde tuam ingrederis, atque in primis idcirco nos tibi succensere dijudicas, qui nolueris adversus proditorem Ecclesiae Romanae Sigismundum (*b*) arma sumere, qui tibi sanguine junctus sit; & consuetudinem majorum praetendis, qui pacifice cum vicinis viventes, & opes multas cumularunt, & mirifice a suis subditis amati, & observati fuerunt. Nos etsi ae-

(b) *Sigismundum Malatestam in quem extat in hac nostra Collectio ne Oratio Pii.*

aequum censemus eum qui vassallus est, seu vicarius pro salute sui domini arma capere; & majus esse vinculum inter subditum, & dominum, quam inter cognatos & affines, scimusque saepe fratres in filios, & filios in parentes pro statu sui Principis strinxisse ferrum; non tamen propterea tibi subirascimur, quia Sigismundo non infer bellum, domino pernitioso, & foetido; nec hoc, inquam, tibi crimini dedimus; sed illud reprehendimus, accusavimus, acerbe tulimus, quod omnium hominum sceleratissimum excommunicatum, hostem Ecclesiae declaratum domui tuae saepe habuisti, & ut nobis affirmatum est, petenti opem non denegasti. Hoc certum est, quod haereticum, & anathemate percussum non evitasti, nec timuisti censuras nostras; & quamvis excommunicationem incurristi ei communicans, qui a Romano praesule excommunicatus est, non tamen divinis, quae tua praesentia polluebantur, movebare. Invisibile est anathema, & invisibiles operatur effectus; tu hoc aut non sentiebas, aut non curabas. Nos autem qui scimus excommunicationem instar leprae contagiosam esse, & tui causa dolebamus, & eorum qui tecum versarentur; nec poteramus non aegre ferre quod in terris Ecclesiae majestas contemneretur, & ejus hostes honore cumularentur; hoc doluimus, Borsi; non quod bellum recusares, tuae, ut dicis, insuetum familiae; nam Deo volente satis erunt Ecclesiae vires ad expugnandam, delendamque detestabilem, & abominandam Malatestarum familiam, quae non solum Ecclesiae Romanae Dominae suae, sed Fidei Catholicae bellum intulit, & Turchorum impiam gentem in Italiam studuit advocare. Nec tu nobis Alphonsum regem, aut alios commemoraveris, quorum societati recusaveris ne bello implicareris. Vide quam bellè arguis: negavi regi, possum & Papae negare. Admisit rex excusationem; cur non admittat papa? Tanquam minor sit papa quam rex, & minus Ecclesiae sis obnoxius quam regi. Ita ratiocinaris. Admittimus argumentationes tuas, quando plus armis, quam dialecticae operam dedisti; & sic nunc arma recusans vim dialecticam videris amplecti,

Nescimus quanti apud alios momenti erit hoc argumentum. Quid praeterea sibi vult, quod te dicis non optare ampliationem dominii, & contentari eo, quod a majoribus accepisti? An bellum augendi tantum dominii caussa geritur? At id non est justum?

Ad res repetendas; ad vim propulsandam; ad opem ferendam iis, qui patiuntur indigna; ad obediendum suo Principi juste sumuntur arma: qui propter gloriam, & imperium augendum bello vicinos infestant, rem perniciosam agunt. Sapis tu, & inter paucos es laudandus si parta tibi sufficiunt, nec ultra cupis; & Philosophi magis quam Principis vitam induisti. At nos ex ore tuo accepimus sperare te brevi venturam esse in potestatem tuam urbem quandam non ignobilem, quam nolumus nominare. Et tu quidem affirmasti omnem te operam impartiri, ut illius dominio potiri possis, quae tua non est.

Sed mittamus ista; illuc pergimus, ubi de mutuo denegato te purgas, quo in loco rem non ita narras, ut gesta est, si Dominico fuerit credendum, qui nos inter & te fuit interpres, qui neque puer est, neque somniator. Ait ille se fuisse in domo tua, teque multa locutum de tua ardentissima erga nos caritate, & inter caetera quemadmodum cuperes edoceri, in qua re nobis posses morem gerere; quod nihil tibi jucundius esset, quam nostris desideriis satisfacere; seque respondisse nos bello implicitos necessario nullius rei egentiores quam pecuniae, quam belli nervum dicunt. Facturum te opus egregium, nobisque acceptissimum, si auri viginti millia nummum, aut aliquid amplius mutuo traderes. Excepisse te id sermonis alacri vultu, exhilaratumque dixisse, quod petentibus nobis hoc mutuum haudquaquam negares. Suadebat igitur Dominicus, ne rem interruptam relinqueremus, quia certum esset te aurum numeraturum, adeo te verbis efficacibus obstrinxeras. Subrisimus acceptis literis, diximusque Dominico non bene notum esse Borsium, qui dicta ejus pro factis habet. Subiratus est Dominicus cum accepit suum apud nos contemni judicium, rescripsitque, ne tuas obla-

oblationes parvi faceremus, quoniam aut nihil, aut nulli credendum esset, aut servares ipse verbum tuum. Quibus auditis significavimus ei, ut si sibi videretur aurum peteret, sciret se tamen deceptum iri, multumque ditare observantiam a promissis. Redit ad te Dominicus, de postulato mutuo nihil obtinuit, & confessus est errorem suum, & te nobis, quam sibi notiorem esse suis literis affirmavit. Sic res acta est. Tu inde excusationem praetendis, quia non invenisti aurum; facile est nolentem non invenire. Recordati sumus illius poeticae sententiae id hominum genus reprobantis, quibus in denegando paululum pudor adest; post ubi jam tempus est promissa jam perfici, tunc coacti necessario se aperiunt & timent, & tamen res eos premit denegare; & paulo post si roges ubi fides, nihil illos pudet: hic ubi opus est non verentur; illic ubi opus non est illic verentur. Nemo est qui Ducem Mutinae auri viginti millia nummum non posse alicunde corradere cum vult, dummodo velit, arbitretur: sed multum distat a voluntate voluntas; nec fugitantem judicii poenas filium missus pater inquirere, facile reperiet. Tibi an cordi fuerit mutuum facere, nemo te melius novit. Nos pudet, taedetque non mutuo, sed amico carere, quem probando perdidimus.

Sed ad res Gallicas sermo vertatur, propter quas iratos nos tibi affirmas, tanquam iniquo tulerimus animo te Franciae regibus esse propensiorem. Ad haec respondes, quamvis ex domo Franciae ducas originem, & Oratoribus Gallicis saepe honores impenderis, ex tua consuetudine; quemadmodum Cardinalibus, & ceteris viris praestantibus illac transeuntibus; nunquam tamen aliquid tractatum est per te, quod statui nostro adversaretur, es enim Italus, nec voles Francorum causa aliquem Italum laedere. Constanter inficiaris te Duci Joanni, aut comiti Jacobo aliquod auxilium praebuisse; & opinioni nostrae tanquam de tua in Gallos affectione nos asseris concepisse phantasma (c) nomen indidisti, tanquam nos phantastici simus, vix (d) enim phantasiam vocas. Damus tibi arbitrium ut de nobis loquaris, ut lu-

(c) *sic.*
(d) *sic.*

lubet; nec propterea erimus alii quam sumus. Nos de tua origine non despicimus, neque inficias imus majorum tuorum nobilem & antiquam originem esse. Rursus quoque amicum te esse regibus Franciae, & illis obsecundare nunquam damnamus; dummodo Romanae Ecclesiae, quae tua domina est non insidiareris. Procul a vero est opinio tua, qui te idcirco nobis displicuisse existimas, quod benigne Gallos oratores exceperis. Carolus rex Franciae illustris, hujus qui nunc regnat pater, absque culpa nostra magnopere nobis fuit infensus; nec tamen unquam reprehendimus legatos ejus in domo tua esse honoratos. Quomodo id nunc damnaremus in oratoribus Ludovici regis, qui de nobis, & Apostolica Sede optime meritus est; & a nobis admodum diligitur, & observatur? Nec legati ejus absque honore praecipuo ex nostra curia recedunt.

Dicis te non misisse ullos ad eum nuncios, ne quempiam offenderes. Nescimus quos timuisti, tu ipse scis. Nos certe vereri in hac re non oportebat, quando & nos ad eum misimus; & tota Italia misit. Tu si non misisti, ut ais, aliorum certe causa abstinuisti non nostra. Nam nos quidem te neque regi amicum dolemus, neque duci Joanni, quem non minus virtute, quam genere nobilem dicunt, at quod illi, & Comiti Jacobo nullo praesidio fueris, quo vultu asseras, ignoramus: cum Hercules germanus tuus, quem de proditione Regi Ferdinando facta apud Principatus Italiae palam insimulasti, nunc eidem Duci contra Ferdinandum militet; & magna ex parte tuis alatur stipendiis; cum saepenumero comiti Jacobo argentum miseris, & tu ipse auctor fueris, quod Princeps Tarentinus eum duxerit sicut compertae tuorum domesticorum literae insinuant. Sed quid conjecturis opus est in rebus manifestis? Silvester Picinini comes quasi alter Achates, qui aetate proxima antehac illius nomine adversus nos bellum gessit, & usque ad urbis moenia praedatus est, & propemodum Tibur astulit, insignis latro, & hostis ecclesiae manifestus, his diebus tecum in colloquio fuit, quem tu nostri contemplatione blande alloquutus magnifice honora-

ra-

rasti, militemque conducere, arma, & equos emere in tuis terris absque ullo impedimento permisisti. Potes hoc negare si vis, quamvis extant literae tuae, quibus de colloquio Silvestri efficis mentionem. Si dicimus te multa transfegisse cum Sigismundo hominum sceleratissimo, & cum Picinino adversus statum nostrum; & si non accipimus testimonium tuum in quo hoc negas non mirere. Nam tu ipse fateris, quod gentes mundi non credunt tibi; sumus enim in mundo, & communem sequimur opinionem. Nec adhuc testimonium Dei audivimus in contrarium, quod imploras. Illo audito sententiam mutabimus; quia ipse veritas est, & mentiri non potest. Interea non possumus more hominum vehementibus non auscultare conjecturis. Scis quod saepe auditus es dicere: ego Francus sum, nec possum Francis non favere. Ferraria schola Italiae est, in quo quod nescitur, nusquam scitur. Quae verba cum aliis operibus tuis profecto aliquid significant. Cardinalem Atrebatensem citas testem, & regis Franciae literas, qui tua erga se officia non satis probet. Nolumus Cardinales de te sententiam quaerere; regis reprehensiones probamus. Vellet enim te apertum esse, nec ulla uti dissimulatione. Et ita sane decebat vel consanguineum, vel amicum. Nam qui sub pallio praestat opem, nec satis animosus est, nec suo facit officio satis. Amicis, & consanguineis palam subveniendum est; nec magnanimi est occultare quae facit, sive noceat, sive prosit. Ingens spiritus non quaerit tenebras; leo manifeste irascitur, draco occulte insidiatur. Vilissimi cordis est more vulpecularum quasi per furtum aliquid agere. Quod si amas Francos, ut ais, & si sanguis illorum es; cur non publice partes illorum tueris, & manifeste suppetias bellantibus affers? Nemo te accusabit quando tot sunt vincula; nec nos damnabimus: dabimus amico veniam, qui subvenit amico. Nec improbabimus consanguineum, qui consanguineo opem affert; & simul sciemus quid de te sentiendum sit.

Caeterum ne falsa opinione ducaris; existimas nobis molestum esse tuum cum Gallis commercium. Edici-

cimus tibi palam: Nos eum, qui regnat in Francia, regem loco filii habere, & amare toto pectore, si quem mortalem amamus. Sic enim egregia sua virtus, & altus animus, & beneficia, quibus Romanam Ecclesiam cumulavit, exposcunt. Non est igitur, quod opinari queas ingratam esse nobis tuam cum eo benevolentiam. Illud ingratum nobis est quod ei non aperte faves, & quod illi causam praebes, ut de te non satis contentus existat, qui dum ei simul, & adversae parti vis amicus videri, neutris plenam inis gratiam. Hec ad Gallos, quos ut servato jure, quo teneris ecclesiae, & ames, & observes hortamur, quamvis nec illos ultra cupere crediderimus.

Nunc de Venetis agendum est, quos te nobis sic odiosum reddidisse arbitraris, quoniam ad eos navigaveris; & asseris te nihil cum eis egisse, quod nobis molestum esse debeat. In qua re possis eorum uti testimonio. Cur veneris Venetias, nobis incertum est; quamvis non vulgarium hominum, neque levium literae ad nos datae sunt; quae te perniciosas statui nostro res moliturum affirmavere, quamvis senatus ille gravissimus, & justitiae tenax tuis suasionibus non auscultaverit. De suo autem erga te amore, vel odio nihil meminimus nos dixisse. Neque enim illius Reipublicae secreta novimus, nec nostri moris est incerta pro certis asserere. Non est igitur verbum nostrum, quod te Veneti punituri sint, tuis moribus infensi, ut ais, nos affirmasse. Tu tamen nosti quae nobis Ferrariae de illo dominio loquutus fueris. Nos illa nemini unquam viventi homini effudimus, ne tibi noceremus; & scis quia suasimus tibi, ut amicitiam Venetorum magnifaceres, quotum praesidio rem tuam servares. Cur tuum ad eos iter damnavissemus, aut cur inde indignati fuissemus tibi? An non potes ire quo velis? Libertas hujus rei penes te est. Quamvis innuas in tuis literis, te non venisse ad nos Mantuam, ne Venetis displiceres; & tamen eo tempore cum tuum quaesivimus adventum, non Venetos te vereri, sed astra respondisti, quae tibi mortem portendebant, quorum est magna pronunciare. Vide quam fue-

ris tibi ipsi incostans! Multis te verbis expurgare niteris, quod neque cum Venetis, neque cum Gallis, neque cum aliis quibusvis hominibus aliquid tractaveris in contumeliam, aut damnum nostrum; & accusas nos quod leviter credimus delatoribus. An sit leviter credere quae tot adstipulatores habent tu ipse judica, qui paulo ante dixisti tibi gentes mundi non credere. Quod si ita est; quod nos credimus cuncti credunt; & si leves sumus, cum omnibus sumus leves qui mundum incolunt.

Asseris quod in in ignem ires, corpusque omne dares flammae pro veritate astruenda innocentiae tuae, nec tibi flamma noceret. Primum totum corpus ignis experimento devoves; postea quasi poenituerit solam offers manum, ut Scaevolae imiteris exemplum, & ais, quod non arderet manus tua igni admota; veritas incendio resisteret. Recte Scaevolam adduxisti. Nam Mutius delicti conscius eam quae peccaverat manum foco admovit, passusque est constanter exuri. Hominis constantia in eo facto non innocentia laudatur. Et tu, si ita constans fueris, parem consequeris laudem. Sed cavebis, nec quae dicis facies omnia: perraro enim magna dicuntur antequam fiant; & facere viri fortes, quam dicere malunt. Angeris indignaris, irasceris, quod te levem, & nugacem, ac verbosum sive linguacem; ac denique parum pensi habentem, stultumque esse dixerimus, & odio prosequamur, quem te subditi tui, & cuncti Italiae populi, ac Principes nobis exceptis, & ament, & prudentem existiment. Si ita esset non ab re doleres, & justa esset querela tua. Verum nos te neque stultum, neque amentem unquam judicavimus, neque illa tibi adscripsimus unquam vitia, quae nominas, quamvis de te tuis oratoribus questi sumus. Nam quo pacto sboccaciatum te vocavissemus, quod verbum latina, ut ante diximus, lingua non habet? Quomodo te stultum appellavissemus, aut amentem, cujus astutias saepe deprehendimus, & nimias in rebus agendis captiones atque versutias? De levitate potius aliquid dicere cum de tua inconstantia loqueremur, qui

pro-

promitteres, & non faceres: quod non potest levitati non adscribi. Quod te odio prosequamur, cum caeteri ament, non recte ais. Nam quamvis tua quaedam facta damnamus, te tamen non possumus non diligere, quia homo es & creatura Dei, & multae in te sunt partes dignae amore, & laude. Et nos Christi locum tenentes, licet immeriti, cunctos fideles in Christo diligimus, & te praesertim, qui vasallus noster es, & Ecclesiae Romanae Vicarius. Dolemus tamen aliquando quod non exequeris tuum munus, neque illum te exhibes Domino tuo, quem debes. Sed odium procul abest, & rancor, & malivolentia.

Quae sit autem de te existimatio, vel opinio, & quantum ab eis ameris non exploratum nobis est; sed quod dicis Venetos te magnifacere & amare, amplectimur testimonium tuum; quanquam ex alieno ore efficacius exivisset. Quibus officiis, & Ducem Mediolani, & Ducissam, & Comitem Galeatium, sis prosequutus multis in medium verbis affers; & coli te ab illis, observarique, & magno haberi in pretio asseris Non imus inficias, quamvis non omnes principes ita sunt aperti ut nos; & illi nostra aetate videntur sapere qui melius dissimulant.

Quod Florentini, ut ais, te prudentem, & circumspectum, & alti cordis sensusque magni Principem ducant, & ament, & nullam unquam tibi de finibus litem moveant, & subditos tuos nullo damno, nulla contumelia afficiant audimus non sine voluptate; tuoque nomini magnam accretionem hinc factam esse cognoscimus, quod populus ille inter Etruscos oculatissimus te admiretur, & laudet. Illa est enim vera laus, quae ab homine laudato proficiscitur; multo magis ab excellenti populo.

De Mantuano Principe & anima una in duobus corporibus, ut sicut Aristophanes ait, consentimus tibi, quod ille perspicacem, & cautum, & sapientem te principem judicet, tuam sequimur auctoritatem. Nec Bononienses te magnifacere, & procul videntem te existimare negaverimus; at quod te ament non fit nobis

 veri-

verisimile, cum suos exules in tuis urbibus foveas: nisi occulta est inter vos intelligentia: cujus rei tibi judicium relinquimus. Illud exploratissimum est, quod de tyrannis Romandiolae affirmas; es illis ut scribis, carus, & acceptus, Sigismundo praesertim, homini pernitioso, & fratri ejus nihil meliori, quibus, vel favisti contra nos, vel non adstitisti nobis contra eos, ut tenebaris. Verum ex consortio tam facinorosae domus nulla tibi assurgit laus; & cautius erat hunc locum praeteriisse. Et si consanguinitas intercessit, ut ais, non est efficax testimonium sanguinis.

Pergis ad Regis Ferdinandi negocia, & plurima dicis de patre suo, & de affinitate, quae tuo germano cum illo fuit, & longas explicas rerum ambages. Quomodo te Alfonsus amaverit, honoraveritque, & munera quae illi attulisti; & quod nunquam Ferdinando nocueris, & literarum exemplaria nobis misisti, in quibus ille te optime de se meritum affirmat. Ais tamen nepotem tuum (e), qui cum eo fuit, aliam regis mentem ad te attulisse; & plus regi quam tuo nepoti adhibes fidem; & tamen dicere soles nobilissimum Estensis Familiae sanguinem veracem esse, nescire mentiri. Si ita est, cur Ferdinandi literis magis, quam nepoti tuo credis? Si vera est Ferdinandi epistola, mentitus est nepos tuus. Si verax tuus nepos falsa est epistola, nec de te Ferdinandus bene sentit. Nos & nepoti tuo credimus, & Ferdinando ignoscimus ea scribenti, quae tibi placeant, quia non est calamitosi hominis, & in aversa fortuna constituti potentes principes etiam nocentes accusare. Fatetur potius quae illi volunt, & tolerat, & dissimulat injurias, sive ut desistant persequi, sive ut ne magis noceant; & multum interest quo tempore quis loquitur.

[e] Nicolaum Estensem Leonelli, qui Borsii frater extiterat, filium.

Postquam multa inculcasti de tua in te omnium gratia, nobis demptis, dicis more tuorum progenitorum in bellis, quae Italiam agitant, neutri partium adhaesisse, ipsamque neutralitatem magnis effers praeconiis. Nam tui subditi hinc ditati sua pace fruentes, & saepe Italia tuorum studio majorum, qui neutralitatem serva-

ve-

verunt, ad otium rediit. Subdisque & patrem tuum, (*f*), & alios antecessores saepe gravia in se odia concitasse cum essent neutrales, dicentibus iis, qui contendebant: qui non est mecum contra me est; & idem tibi nunc ais accidere, quem omnes odiunt, quorum belli societatem refugis. Multi ergo te odiunt, qui vel Ferdinandi, vel Renati sequuntur arma; qui multi sunt Et ipsi contendentes odiunt. Non igitur solus te Pius Pontifex odit; en quam cohaerent ista prioribus? Sed damus veniam multa dicenti, quia non potest in multiloquio deesse peccatum. Extollis pluribus verbis neutralitatem, & rem justam ac pernecessariam conaris ostendere. At Solon, qui leges dedit Atheniensibus rem Civitati perniciosam censuit, exilioque neutrales mulctavit. Stante Basiliensi Concilio cum Germani neutralitatem recepissent; & ab Eugenio, & ab ipso Concilio reprobati fuerunt; & sunt qui Angelos quosdam e Coelo praecipitatos ajunt, quia pugnante Michaele Archangelo cum Dracone, stante bello dubii fuerant, nec agno adhaerentes, nec Lucifero? Bononienses, quos tibi amicos asseris, eos qui divisa Civitate partem nullam recipiunt maletransversos (*g*) appellant. Christianitas tota, quasi Civitas quaedam est Dei in terris, quae coelestem inquirit Hierusalem; hanc unitam esse convenit. Quod si dividatur in partes, & altera impugnet alteram, ei consentiendum est, quae iuste induit arma, ut fiat belli finis, & discant iniqui pacem tenere, & parere superioribus. Et si licet aliquando belli expertem esse, id profecto non licebit Domino jubente, ut arma pro se capiant contra hostem suum. In iis quae pendent a gratia, & arbitrio, poteris neutri auxilia subministrare; ut si Veneti, & Florentini, vel Mediolanenses inter se pugnent; quando istorum nemo superior tibi est, & quidquid ex te petunt ex gratia petunt. Secus si Papa fuerit, cui vel non roganti teneris ut Domino assistere, si modo hujus Vicarius es, ut non tam opere, quam verbo fateris.

At dicis non posse te perpeti mortalia vulnera nostra, hoc est verba, de quibus te reprehendimus, &

pe-

(*f*) Nicolaum Estensem.

(*g*) sic

peremptorium nobis comminaris edictum, quasi grandem aliquam sis facturus mutationem, nisi desitamus te objurgari; plusque commoveris nostris verbis, quam nos tuis factis agitemur. Est tamen tui arbitrii facere ut velis, & uti edicto peremptorio cum tuo Domino, quando eum non habes Dominum. Facile patimur te sequi desiderium tuum, si non poterimus impedire. *Nec homines sine lege, nec equi sine fraeno retineri possunt*. Si leges contemnis, difficile est in officio te retinere; qui postquam diu acerba loquutus es, denique subjungis, velle te scire quo pacto debeas nobiscum vivere, tanquam velis obsequi nobis si noscas quae sint officii tui partes. Non est quod te multis moremur; brevis est formula: recte vivito. Nos nihil ex te quaerimus, nisi quod aequum, quod debitum est. Tu nisi omnes, quas petis ex nobis gratias obtineas, injurium tibi factum putas; nec distinguis inter debitum, & gratiosum. Et cum res arduas, ingentesque petas: si negatur; gratiolas, inquis, obtinere non potui. Si concedatur; ecquid est, ais? Parva res mihi concessa est, quae nulli plebejo fuisset negata. Atque ita fit ut sive negemus, sive concedamus quod postulas parem inhibeamus benivolentiam. Petivisti ut publicani, qui tuo nomine ab ecclesiasticis viris vectigalia exegerunt, absolvi possent. Indulsimus, teque alieno donavimus aere. Tu minimum ducis, & tanto te munere indignum reddis. Nec privilegia tibi concessa trahis ad gratiam, quae plurima sunt. Relinquemus te deinceps in terminis juris, atque ita intelliges quot quantasque gratias a nobis acceperis. Non erimus tibi injurii, si juri te relinquemus. Amplificas, & admodum extollis quae in nostram laudem feceris, vel utilitatem. Quae vero accepisti a nobis imminuis, atque contemnis. Quod nos laudaris, habemus tibi gratias, quamvis non stabit laus nostra, nisi operibus nostris conveniens fuerit. Quidquid supra veritatem dicitur, caducum est. Tua tamen est probanda voluntas.

De utilitate, quam nobis praestiteris, amplo loqui ore non possumus; non es tamen fraudatus tua laude. Ni-

Misisti ad nos vasa quaedam sive crystallina, sive vitrea, pulcherrima quidem, auro atque argento vestita, quorum valor mille aureos non excessisset. At quae ea detulit secum ad te retulit multarum, ac magnarum rerum privilegia, quorum taxa auri decem millia nummum ascendisset. Tibi vero nihil constitere; gratis enim cuncta tuo Hannibali ingenio, non natu Poeno, tradita sunt. Honorasti nos Ferrariae, egregie quidem, ac magnifice, & cum Mantuam ivimus, & cum inde redivimus. Nec negamus nos inde tibi obnoxios esse. Quamvis sine magno tuo dedecore, & ingratitudinis nota non poteras tuum Dominum non honorare, qui te summo cumularat honore Ferrariam petens, & in tuas aedes familiariter absque ulla pactione, vel conditione descendens: quae res orbe toto tuum nomen clàrius, atque illustrius reddidit. Nec quisquam fuit, qui te Papae adventu non magis exaltatum existimaverit, quam papam tuis honoribus decoratum. Nos tamen officium tuum non dedimus oblivioni, nec propterea satisfactum liberalitati, & magnificentiae tuae judicavimus. Sed auximus gratias; & quod maxime cupiebas; quamquam non satis ex honesto cupiebas, Episcopum Ferrariensem ad Feltrensem (*h*) transtulimus Ecclesiam; non quod aliquid deliquisset, erat enim vir gravis, & justus; sed quod eum privatis quibusdam simultatibus recto intueri vultu non poteras. Nec suffecimus ei extraneum quempiam, aut ignotum ingratumque tibi; sed elegimus ex familia Reverellarum (*i*), quam inter paucas observas, Laurentium per te nobis saepe commendatum, virum excellentem, & literis, & moribus; sacrae Theologiae studio inter primos laudatum. Optabas Bartholomaeum ejus fratrem Archiepiscopum Ravennatem in Collegio Cardinalium assumi, idque literis, & nunciis & ore tuo saepe a nobis efflagitasti. Gessimus, ut primum facultas data est, tuae ingenti cupiditati morem. Et ais, nos tibi negare cuncta quae petis; & si quid obtines gratiolas impetrasse te minimas dicis, & nulli negandas? Forte existimas parva privilegia & indulta quamplurima ex nostra cancellaria obtenta, quia nihil solvisti, sed li-

be-

(*h*) *Franciscum de Lignamine Pataviunm.*

(*i*) *Laurentium Rovella Ferrariensem.*

beraliter gratisque omnia concessa fuere. More hominum facis, illa pluris existimantium, quae carius emuntur; quae gratuita sunt, ipsa donatione vilescunt. Tu si nostra, tuaque beneficia in aequilibrio posueris, invenies te longe superatum. Nec nos hortaberis, ut nepotum nostrorum salutem, & firmamentum in tua quaeramus familia, ut ad Oratorem tuum scribis. Suades enim, ut meminerimus qui fuerit exitus nepotum aliorum Pontificum, qui post illorum obitum mox corruerunt. Commemoras vetustatem tuae domus, quae per tot saecula duravit, tuumque nepotibus nostris refugium in tua domo quaerendum censes. Id fiet si te beneficiis prosequamur, ostendamusque te nobis esse carissimum; retribues enim nepotibus nostris. Vis prius accipere quam dare; foeneratoris hoc fuerit qui pignus ante capit, quam mutuam pecuniam e manu mittat: venditores prius merces tradunt, deinde pretium accipiunt. Esto; fiat quod admones. Erit ne propterea bene consultum nepotibus nostris? Non dicis quod multa expectare illi ex te queant; sed refugium, ais, habebunt in domo Estensi. Refugium ejectis, extorribusque convenit; exulare prius illos oportet, deinde apud te refugium invenire. At quod refugium? Tecti ne, an victus vestitusve? An quod Moyses apud Sacerdotem Madianitam? An quod David apud Achim filium Machohi regem Geth? Incerta est haec refugii promissio, quod etiam fugientibus ex ore canum aliquando feris praebetur. Pulchrum nempe nostri Nepotes refugium abs te speraverint post obitum nostrum, qui nobis viventibus, & summis te beneficiis prosequentibus injurias eis tulisti.

Andreas, Ptolomaeus, & Jacobus Pater eius testes sunto, quibus quas minas intuleris tuae literae docent, quae in manus pervenere. Alter eorum frater noster secundum carnem consobrinus est; alter nepos; nec tamen eis pepercisti, quamvis consanguineos tuos appelles. AEgerrime tulisti nos Andreae in tuo territorio ecclesiasticum beneficium contulisse, & reservatum quidem, atque in Curia vacans; restitisti, & diu impedivisti. Quomodo nostris nepotibus tua elargiere, qui aliena eis

eis donari non permisisti? Satis hoc indicat qualis post obitum nostrum sis futurus, qui dum vivimus talem te exhibes. Nam si hoc fiat in viridi; quid fiet in arido? Quamvis non habes caeli decretum, post nos victurum te esse, & nescis quid vesper vehat. Multus est tuus de nostris nepotibus sermo; & arbitraris nos eos velle reges constituere. Falleris. Non quaerimus eis montes aureos relinquere, nec propter eos spoliabimus Romanam Ecclesiam. Nec ut eis bene fiat, vel tibi, vel aliis remittemus census Beato Petro debitos: facilius erit bona Ecclesiae a nobis eripere, quam recipere. Nepotes nostri eam ferent sortem, quam tulerunt aliorum Pontificum vel consanguinei, vel affines. Satis erit eis si tanquam privati cives honeste queant vivere. Nec se tibi aequabunt, nec caeteris Estensibus, quorum nobilitas vetusta est, & opes multae. Nobis cura est non de nepotibus nostris, quamvis eos non negligimus; sed de Sede Apostolica, quae multo antiquior est, & nobilior tua domo; etsi non male audis etiam ditior. Huic consulimus, huic prodesse studemus, & scimus quia sicut tu moriens successorem habebis; ita & nos morituri sumus, & successorem habituri, quem Sacrum Collegium elegerit. Et is erit Jesu Christi Vicarius, Pater pauperum, aeterni regni claviger; nec nostri tantum, verum etiam Beati Petri successor Huic haereditatem servare integram cupimus. Nec major affectus est tuus erga haeredem, qui tibi succedet incertus, quam nobis erga successorem, quem certi sumus a Deo eligendum fore. Nec familia nostra Piccolominea, vel pauper, & absque gloria erit, nobis vita functis, quae Romanum Pontificem unum genuit, etsi non simus hoc culmine digni. Tu fruere ut libet domus tuae nobilissima fama, & majorum tuorum te titulis, ac triumphis oblecta. Tantum desine nepotibus nostris, vel ignobilitatem, vel paupertatem exprobrare, meminerisque multorum regum parentes fuisse servos, & servorum progenitores aliquando regnasse; nec potentiam ullam inter mortales non deficere, nec nobilitatem non obscurari.

Atque haec de nepotibus nostris, quorum te cu-

riosum esse non inviti audivimus, si modo vera caritas est, & non mercenaria: videris tamen omnia emolumenti tui causa dicere, ut te magnificemus. Et reverteris ad purgationem, & iterum atque iterum objecta non tam refellis, quam negas; & instas, ut neganti tibi fidem habeamus: Et quoniam hoc assequi desperas, affers ad confutandam calumniam, quam tibi falso impositam dicis, auri centum millia florenum velle deponere apud Mensarios Romae, qui nostro cedant aerario, nisi tuam innocentiam plane ostendas; nec diu manes in proposito. Mutas oblationem e vestigio, & depositum ipsum transfers in vades, aisque decem cardinales hanc summam tuo nomine promissuros; neque dubitas quin singuli eorum pro decem millibus sese obligent: tanta est tibi de his fiducia. Quid hic dicamus? Haec profecto via est; qua te optime purges; hic est legitimus defensionis modus. Acceptamus oblationem tuam eo quo fit ordine. Deponito aurum, & vades dato. Non recusamus cardinales. Si non probaberis deliquisse, impune abibis, & pecuniam referes tecum, & dignus eris quem magnis efferamus praeconiis: pulchra res! bellum inventum! provide cogitasti! Duplex hic periculum fiet, & tu experieris quantum te cardinales ament, & nos palam videbimus an teneas quod polliceris. Nostra sententia est neque te dicta servaturum, nec cardinales tuae satisfacturos opinioni. Falli vellemus; sed non patieris adeo labi Romanum Pontificem, ut falsa pro veris accipiat. Neque plus virium haec oblatio habebit, quam altera Dominico facta de argento; & altera nobis de petenda Mantua. Atqui magnopere petis ut te in priorem gratiam recipiamus, & omissis querelis teamemus, te honoremus, & cum aliis benefaciamus, nec te unum postergemus, cupisque tandem scire quo in te animo simus. Libet tecum aperte loqui, & nostram servare consuetudinem. Libera est mens nostra, & quod gerimus in corde promptum habemus in ore. Audi ergo animi nostri sententiam, nec vageris amplius incerta pro certis habens: folium tibi non Sybillae, sed Evangelii recitabimus. Nos neque te odimus, ne-

neque contemnimus, nec famam tuam libenter laedimus; sed admiramur paululum ac dolemus quod eum non te nobis exhibes, quem speravimus, & qualem te esse vel familia tua, vel dignitas requirit. Atque idcirco tuos legatos absque arbitris seorsum accersitos adhortati sumus, ut te nostro nomine commonerent, ab errore abire, atque in viam reverti. Ne pergeres ulterius Romanum offendere Pontificem, qui dominus tuus est: & cuncta quae accepimus de te, illis aperta fecimus. Si non sunt vera quae tibi objecimus, recte negas; sed purganda sunt indicia, & conjecturae dissolvendae, & faciendum depositum quod polliceris. Sin vera de te loquuti sumus, & justa est querimonia nostra, & non multa ex te petimus, fatere delictum, & praesto sumus volenti mores corrigere veniam dare. Imitare filium prodigum sua peccata confessum, & apponet tibi Pater Vitulum saginatum, & fiet in tua conversione laetitia, similis illi quae refertur in Evangelio. Sed non potes facile adduci ut peccasse aliquando te censeas. Recta tibi, & summa laude digna videntur cuncta quae agis; atque idcirco praeter nos, principes omnes te colere, & admirari, magnopere asseris. In culpa sunt domestici tui, qui raro verum tibi de te dicunt: multa est in tuo palatio palpans adulatio, Regum familiaris morbus. Approbant quidquid agis, purpurati tui, quidquid loqueris admirantur. Alius sapientiam tuam, alius eloquentiam tollit in coelum; hic te Soloni praefert, ille Demostheni. Nunc liberalitas tua, nunc magnanimitas laudatur. Si quem plectis, justitia, & severitas magnis effertur praeconiis; si absolvitur etiam innocens, clementiae misericordiaeque conceditur. Quidquid mente agitas, divini dicitur esse consilii. Si laudas quempiam, laudant & illi; si rursus damnaveris, eumdem damnant. Ais, ajunt; negas, negant. Si dixeris aestuo, sudant. Quocumque pergis semper intra Laudam Placentiamque repereris; Veronam, quoniam populi liberi est, nunquam pergis. Hinc tu tibi complaces, nec advertis alium de te sermonem esse in foro, aliud in thalamo. Si privato nonnunquam habitu circuires

urbem incognitus, & modo in plateis, modo in balneis, aut aliquando in pistrinis, seu in tabernis vinariis audires populi voces (quod saepe tuus genitor, tuusque frater dicitur, factitasse) verum de te ipso cognosceres, & multa de tuis operibus emendares. Et si statua tua, quae in Foro sedet apertas haberet aures, possetque tecum loqui, qualis sit plebis erga te animus non subticeret. Nam saepe in eam tanquam in teipsum maledicta, probraque jaciuntur: ut est omnis in suos rectores contumax populus. Sed quoniam nec statuae datus est sermo, nec tu libere loquentem audis plebem, neque qui tecum victitant id verum de te fatentur: officii nostri esse putavimus de te aperte ad te scribere quae sentiremus, non carpentis detrahentisque inimici, sed more pii Patris corrigentis, & amantis, quem non decet adulari, aut impinguare oleo caput filii. Si vera dicimus intelligis quae sunt corrigenda; potes adhibere medicinam cognito morbo, & gratia est indicanti adhibenda, qui noluit te ignorantem perire.

Si sanus es, & nulla eges cura, gaude cum scientia tua, & nihilominus ama qui te admonet. Amat enim & te ille qui corripit, quamvis corripit frustra. Si non amaret; sineret pro tua opinione te labi, cui nulla esset de tua salute cogitatio. Nos te diligimus, ut ante diximus; odimus autem ea quae credimus in te mala esse, atque idcirco monemus, ut illa relinquas si vera sunt. Sin falsa, ut ita purgeris ne vel nos vel alios sinistra de te opinio teneat: quia non malo tantum, sed mali quoque suspicione carendum est. Accipe verba nostra in bonam partem, quamvis duriora videntur; & habeto gratiam quod aperte loquimur, neque figmentis utimur, aut blanditiis. Si capesses consilia nostra, delectaberis tandem in eis, quamvis ab initio paululum acerbitatis videntur habere; ut sunt omnia praecepta salutis, quae amaritudinem quandam ab initio praeseferunt, & ipsos inchoantes deterrent; postquam vero recepta fuerint, & in consuetudinem transierint mirabilem proficientibus suavitatem exhibent, & dulcedinem suggerunt incredibilem.

Ad

Ad summum ex multis, quae scribis, ut optimus videaris. Nos illud cuperemus ut esses; idque ut fias, ne te volucribus rerum umbraculis involvas, solem veritatis aperuimus tibi. Et quoniam in multis casuum discriminibus, quibus hodie & christianus orbis, & Italiae respublica dudum agitari solita est, tutius consilium proavorum tuorum commemoras, inter motus quiescendi, & ex littore aliorum naufragia prospectandi. Ideo non tibi ad haec insueto tutum est, aut pro moribus tuis decens, hos vel illos agitatores olfacere. Quod si quiescere vividus animus tuus non potest, unus delectus est rerum cum gloria, & omnium laude gerendarum. Age quod debes. Debes autem nisi oblitus es tui, & tibi honorificum erit cum Sede Apostolica sentire. Scilicet ut inquit ille: Prava callidaque consilia, initio laeta, tractu dura, eventu tristia esse consueverunt. Ne te igitur macera fili. Est quod possis sine tot animi laboribus recte operari. Recognosce sententiam tuam, & si vis, quod teneris, dare honorem Deo vivo & vero, & simul tibi rite consulere, considera, revocato ad te animo monitus nostros; & ut salutaris exempli in obedientia & fide subditis tuis esse cupis: ita ex his quae tibi scribimus; redi ad eam, quae hominis, quae Christicolae, quae nobilis, quae denique Principis debet esse, compositi animi conscientiam, teque illic quaere; crede nobis, invenies quis esse debeas, & facile, imo in te stare, ut & omnibus bonis, & nobis, quos magis excipit, magis placere queas, cum te viderimus ex longa frenesi resipere, omissis praecipitibus, tuta, & vere salutaria capescentem.

Data Viterbii Nonis Junii MCCCCLXII. Pontificatus nostri anno quarto.

IN

IN OPUSCULUM

DE NONNULLIS VIRIS CLARIS

JOANNIS DOMINICI MANSI

Praemonitio.

D*IU multumque haesi anceps, num Opusculum istud inter scripta AEneae Silvii evulgarem. Quod viro huic adscriberem, docuit me per literas cl. Senator Venetus Flamminius Cornelius, qui illud penitus mihi ignotum & indicavit, & rogatus (tantus est enim humanitate, quantus & scientia) Lucam ad me transmisit. Cum vero nondum illud legissem, viderémque titulo carere, atque altum de illo silentium esse apud scriptores, quos noram, de ejus sinceritate mihi orta est dubitatio. Accidit interim, ut Romam concederem, nactusque opportunum commodum Vaticanorum Codd. indicem transcurrendi, sese mihi obtulit Codex 3887., in quo indicis ejusdem auctor post indicatam historiam AEneae Silvii de Concilio Basileensi jam typis evulgatam, subjungit:* anonymi de viris illustribus in principio mutila: *hinc suborta jam dubitatio magis invaluit, quod idem esset codex, unde Opusculum istud sibi describendum curasse vir idem cl. per literas manifestaverit. Ex hoc natum errorem arbitrabar, quod cum opusculum statim post alterum AEneae Silvii subderetur, continuo amanuensis incautus & istud pariter AEneae Silvio tribuerit. Ea persuasus ratione seponendum in aliud tempus statueram. Verum in Patriam redux otiumque nactus perlegi illud diligentius, agnovi tandem sincerum Piccolominei foetum esse, quod perspicuis argumentis ex ipso repetitis opere facile cuique persuadebitur. Opusculi enim hujus auctor de se ipso loquens in vita Bartholomaei Episc. Novariensis ait, se famulatui*

Car-

Cardinalis S. Crucis addixisse, interfuisse concilio Basileensi, eique favisse in tantum, ut a Felice pseudopontifice a secretis suis assumptus fuerit. Dein se a concilio segregasse, & in aulam Friderici III. imp. concessisse. Addit insuper se adeo carum extitisse Bartholomaeo de la Capra, ut ab eo collegiatae Ecclesiae S. Laurentii in urbe Mediolanensi praepositus renunciaretur. Haec omnia cum AEnea Silvio ita quadrant, ut cum altero nemine. Firmum igitur, ratumque maneat acephalum hoc opusculum (deest enim in Vat. cod. primum ejus folium) inter scripta AEneae Silvii haberi oportere. Nec te moveat, lector, quod in titulo Petri Barbi *legeris postea* Paulo papa II. *Paulus autem nonnisi post Pium II. ad Rom. Ecclesiae regimen accitus fuerit; id enim a scriptore hujus opusculi adjectum esse facile existimaverim.*

DE

AENEAE SILVII OPUSCULUM.

De Joanne de Tagliazozis Episcopo Tarentino.

I. JOannes de Tagliazozis domi nobilis & animo magno, medicinae artis peritus, philosophiaeque, Tarentinam Ecclesiam suscepit; missus ad Concilium, Eugenii causam quoad potuit tutatus est; nam & oratione & consilio pollebat. Cum secundò Basileam venisset, jamque instaret tempus, quo Patres Concilii locum alium nominare debebant, in quo cum Graecis convenirent; conatus est vota Patrum in Italiam trahere; contra Gallici nitebantur. Res eo deducta est, ut divisi Patres duplicem electionem locorum facerent. Nam pars Avinionem cum Sabaudia atque Basilea; pars Florentiam & Utinam vel alium in Italia locum, qui intra tempus debitum, quae necessaria erant, praepararet, elegit. In his fuerunt legati Apostolici, & plerique praestantes viri haud ultra quinquaginta. In his fuerunt Gallici Lombardique & Cathelani, vulgusque totus ad numerum trecentorum. Lecta ergo sunt duo decreta invicem repugnantia; sed bullatum est majoris partis decretum; minoris partis bullari publice non potuit; sed sub sigillis Legatorum expeditum est, Graecisque missum. Post, cum a Roma litterae missae hoc decretum sub plumbo deposcerent; Bartholomaeus Battiferrus Juliani secretarius, & Robertus Martellus Florentinus audaces juvenes, & in omne scelus prompti, corrupto plumbatore decretum hoc bullant, Tarentinoque Praesuli offerunt non sine scitu Juliani. Mittitur cum litteris Romam ad Eugenium decretum, deimpediturque cum pluribus litteris. Tum reus criminis Taren-

rentinus, Julianusque arguitur. Bartholomaeus salutem fuga recipit, Robertus, nam Laicus, vades dat. Jurat in concione Julianus nihil se tale mandasse; Tarentinus se non fecisse, ait, factum tamen placere sibi jussumque fore. Leguntur XII. Episcopi, qui rem cognoscant; Tarentinoque mandatur ne domum exeat. Ipse ubi exasperatos contra se Patrum animos sentit, & quam dura sint judicia multitudinis meditatus, advocato Marchione de Roptolim, dum Patres concionem habent, equo conscenso, Urbem egreditur, ad Florentiam pergit. Ibi post in Cardinalem assumptus est, & cum exercitu in Apuliam missus, Regis Aragonum conatu restitutus, post in Ungariam Legatus est regno de pace promissurus. Ubi Elisabet reginae favens Polonorum parti suspectus est habitus. Exinde Romam reversus mortuo post Juliano summi poenitentiariatus officium est assequutus. Amator studiorum est, ac propterea Johannem Campistam philosophum magno semper in honore tenuit, qui ejus literas conscribat.

De Francisco Cardin. Condulmerio.

II. Nepos Papae dictus est, & postmodum Cardinalis juvenis creatus, solumque Cancellariatum officium advenit (*a*). Post cum Ungari instante Juliano Teucros, qui in Graecia morabantur, aggredi vellent, magnumque confecissent exercitum, is cum classe in Hellespontum missus est, prohibiturus ne Teucer magnus Omerat ex Asia possit in Europam transfretare. Omerat autem suis laturus opem una cum magno exercitu trajecit, sive quod alio in loco, improviso Legato, transivit, sive quod magnas gentes parva classis impedire non potuit. Is adhuc ex Graecia non rediit.

(*a*) *sic.*

De Petro Card. Barbo postea Paulo P. p. II.

III. NEpos Eugenii ex sorore admodum juvenis in Cardinalem assumptus est. Scit uti Curiae moribus, sermone blandus est, convivia opipara servit. Advenas saepe invitat, corpore magnus est. Cardinali de Columna admodum familiaris.

De Nicolao Secundo.

IV. NIcolaus Secundus ex Cathania natus monasticum habitum sumpsit; post juri Pontificio dedit operam, doctusque plurimum evadens Parmae, Senis, ac Bononiae legit, nec in Abbatem assumptus lecturam amisit. Senis ad x. annos canones legit, stipendium ei octingentorum aureorum in anno fuit, post Romam veniens Auditor Camerae factus est, missusque cum Tarentino Basileam Eugenii partes tutatus est; quamvis antea legens Romanum Pontificem subesse Concilio disputaverit, asserueritque. Nec diù post Romam reversus ad Regem Aragonum se contulit, qui eum cum Ludameo Pancano ad Concilium remisit, Eugenii partes impugnaturi. Dum illic est, ingens argentum lucratus est ex patrociniis, vel, ut melius dicam, ex consiliis; plures causas injustas promovit. Nam Isidorum de Rosate non parva pecunia corruptus in Pergamensem Episcopum promovit indoctum hominem, &, quod pejus est, vitiis multis coopertum, ignobilemque. Marcum quoque Mediolanensem imperitum quamvis doctorem, & omnium ineptum Alexandriae praefecit Episcopum ex commissione Concilii, de quibus cum relationem faceret, non aliter loquutus est, quam si Beatum Paulum aut Augustinum esset promoturus; exinde non parum notae suscepit. Post autem cum divisio decreti de electione loci in Concilio esset, Gallicis adhaesit, electionemque jure factam ostendit. Cum vero ad Eugenii depositionem ventum est, ex Concilio recessit, sic enim Rex Aragonum subditis suis praecepit. Jam enim

enim Rex Aragonum irritatus adversus Eugenium redire suos Basileam jussit, obedireque Concilio, etsi Felicem non haberent in Papam. Post assumptionem autem Felicis, Cardinalis ab eo creatus Basileam rediit, acerque pugnator pro Concilio fuit, missusque Franchfordiam magnas disputationes habuit, magnaque causa fuit, ne tunc Electores pro Eugenio se declararent. Exin autem cum Rex Aragonum Eugenio conciliatus Praelatos Dominiorum suorum ex Concilio revocasset, is quoque recessit; nec enim tanti fidem, quam praedicaverat, quanti Ecclesiam fecit. Cum autem resignare Cardinalatum cogatur, variis dilationibus se excusat, & ante mortuus est, quam Eugenii sese obedientiae subiiceret, multumque questus est moriens, quod Nepotum suasu veritatem Concilii reliquisset.

De Bartholomaeo de Vicecomitibus Episcopo Novariensi.

V. Bartholomaeus de Vicecomitibus Episcopus Novariensis Scaramutiae Frater juvenis ad Episcopatum assumptus est non sua tantum virtute quam Germani favore; Scaramutia namque, qui & Georgius dictus est, humili natus loco puer admodum Gabrieli Vicecomiti servivit, quo apud Januam capite truncato ad Johannem Vicecomitem Mediolani Ducem puer se contulit. Cum eo quoque, dum is percuteretur, fuit, ejusque occisioni plenius interfuit; repertusque est lacrymans supra cadaver; ac sic postea Philippo servire cepit melioribus auspiciis, a quo ditatus est, tantumque dilectus, ut in numero quoque Vicecomitum reciperetur, & frater suus Bartholomaeus Episcopus fieret. Huic Episcopo ego quoque servivi dum is esset Basileae, magnique nominis haberetur propter ducem, & cum eo Mediolanum ivi, ac post Novarram fideliter tribus annis sibi famulatus sum. Postea dum in legatione Ducali Florentiam missum secutus sum, ubi vir perditus in malignitatem natus eum delusit; fingens enim se Eugenii inimicum, quod is sibi non digna praemia re-

tribueret, ait, se magna in Papam moliturum, si modo Episcopus sibi assisteret. Episcopus qui Papam suo Principi inimicum putabat, audire eum voluit. Is inquit, admodum plures esse Florentinos, qui Papae inimicarentur & regimini quod tunc erat; quod si Nicolaus Piceninus qui erat in balneis Senensibus cum aliqua navi Florentiae appropinquaret, Cives in numerum mox surgerent, expellerentque suos inimicos, & Papam captivarent; multaque dixit ad rei confirmationem. Submissus is erat per Cosimum & sequaces. Episcopus dum vult secretum esse, nullique suorum communicare, magis decipitur. Nam si ex suis aliquem consuluisset, non deceptus fuisset; sed animi magnitudo non patitur comitem, sola sibi omnia arrogat. Persuasus ergo est Picenino scribere, ejusque literae interceptae sunt, & quamvis sub notis obscuris essent, intellectae tamen sunt, ut Florentinorum est in malum astutia. Criminis reus factus est, & coram Papa fateri crimen coactus est: nam dum Palatium petit, retentus est. Nos qui audivimus factum, percusso pastore dispersi sumus: meum iter prius ad Beatam Mariam, quam Gratiarum vocant, fuit, ibi vota peregi, supplicavique Beatae Virgini, ne me innocentem rapi fineret, quae ut benigna in me semper fuit innocentiam meam tutata est. Erat in eadem supplicatione mecum Antonius Bernerius Parmensis, qui postea Savonensis Episcopus factus est, is ad Cardinalem de Ursinis confugit. Ego ad Cardinalem Sanctae Crucis me recepi, qui & me in Secretarium accepit, apud quem dum moror, venit Episcopus Novariensis sibi commendatus, meque accersit, petitque veniam, quod nihil mihi communicasset, nam me Tuscum noluerat in re Tusca consulere. Doleo, inquam Episcopo, te mihi nihil communicasse, nam si quid scissem, extimo, quod non sic te aberrare sivissem. Laetor insuper, nam si quid contra me fiat, adjuvabit me semper conscientia, dum nescivero indigna pati; post inde paucos dies liberatus Episcopus est, Mediolanumque ivit cum Domino Cardinali Sanctae Crucis, qui non nihil negotii ha-

habebat cum Duce, ac ire Atrebatum ad tractandam Pacem inter Regem Franciae, & Ducem Burgundiae debebat, quem ego sequtus sum, & jussu ejus ivi in Scotiam. Sed cum revertissem, nolui esse apud Eugenium in Bononia, ne mihi imputaret facta Novariensis. Fui ergo Basileae diù, interfuique omnibus quae acta sunt contra Eugenium. Postea in Secretarium receptus sum a Felice novo Papa creato, apud quem dum Cardinales crearentur; operam dedi, quod is quoque Novariensis fieret Cardinalis; idque factum est; sed postea mutatis rebus, cum Felicem omnes relinquerent, nec ejus papatum amplecti vellent, ego ad Caesarem Fridericum me recepi, nec enim volui statim de parte ad partem transire. Novariensis vero Episcopus Cardinalatum renuntiavit, non sine spe novi Cardinalatus ab Eugenio obtinendi, quae spes adhuc eum tenet.

De Ludovico Pontano Medici Filio.

VI. Ludovicus Pontanus, Medici filius, Perusii studuit, tantaeque memoriae fuit, ut arte magica, non natura uti putaretur. Santius illi pater fuit, qui etiam suspectus erat hujus artis. Major in eo scientia, quam prudentia fuit. Nam & pueri cum in aliquibus delusissent, si quis obtinere aliquid volebat ab eo, quamprimum adulari coepisset, voti compos fiebat. Magnum hujus nomen propter peritiam juris utriusque fuit, nam scientia haec memoria magis quam ingenio constat, ex quo fit, ut stultus etiam possit esse jurisperitus. Istius memoria capacissima fuit, quidquid legit, memoriae tenuit. Conductus est Florentiae ad Lecturam, post defecit, ob quam rem tamquam proditor dejectus est per pedes suspensus, meritoque infamis reputatus. Exinde vocatus Romam ob singularem peritiam juris Protonotarius creatus est. Sed cum altiora quaerit, & non obtinet, ad Regem Aragonum se recipit, & ab eo cum Panormitano in legationem mittitur ad Concilium, ubi multa egregie disputavit, visusque est hominibus Divinus potius, quam humanus homo.

mo. Missus est per Concilium ad Ducem Burgundiae, Archiepiscopum Coloniensem, pluresque alios, ubi quoties loquutus est, omnes in stuporem adduxit. Sed in reditu captus est, vixque relaxatus per Ducem Bavariae. Uni solum Panormitano invidit, quem sibi vel similem vel proximum judicavit. Cum omnes ex Basilea Oratores Principum recederent, is solum mansit, spe Cardinalatus habendi, sed peste superveniente mortuus est, quem ego in agone constitutum multis verbis ad patientiam hortatus sum. Cum is diceret, non se credere Deum sibi tam juveni spiritum tracturum, qui multum adhuc Ecclesiae prodesse posset, apud Cartusiam sepultus est.

De Nicolao Picenino.

VII. Nicolaus Piceninus Perusiis natus haud obscuro loco, inopi tamen ut saepe nobilitas paupertati subjacet. Vir fuit parvae staturae, sed quantulus fuit pulcher erat. In militiam profectus diu inter gregarios milites fuit. Tirocinium suum sub Braccio peregit, qui viri virtute cognita hominem erexit. At dum Aquilam urbem Braccius obsideret, jamque procinctus Ecclesiae contra se veniret, placuit Braccio certamen ingredi, Piceninumque cum parva manu ad custodiam Urbis reliquit, ne dum praelium esset, Oppidani egredientes a tergo sese invaderent. Sed Piceninus audiens victoriam Braccii, ut conturbatos hostes clamantibus suis inexpertes se praedarum esse, dum portam observant, custodiam reliquit, quae res magna pars ruinae Braccii fuit. Hoc unum Picenino imputatum fuit; sed militibus potius quam sibi adscribi debuit, nam ipse coactus erat. Sed mortuo in hoc praelio Braccio, is postea cum ejus filio Comite Gaddo ad Florentinos se recepit, Rectorque pueri fuit, quamvis titulus capitaneatus Comitis esset ob reverentiam Patris. Bellum tunc cum Filippo Duce Florentini gerebant. Itaque per vallem Lamoni dum Gaddus puer Piceninusque, qui locus est in Alpibus Apennini, Florentinorum nomine

Fa-

Faventiam peterent, incolarum superventu, nam feroces illic rustici sunt, conturbatus est exercitus, nobilisque puer occisus. Picininus captus in potestate Antonii Guidonis, & hesteris, qui tunc Faventiam tenebant, devenit. Sed plus ejus captivitas Florentinis profuit, quam si victoriam obtinuissent; nam dum est in carcere docet cives Faventinos, utilius esse Florentinorum quam Ducis parti favere, Ducemque in remotis esse, ait, Florentinos vicinos fore: Ducem unica febre moriturum esse aut veneno, aut quovis alio casu, civitatem immortalem fore, quam si ad tempus jaceat, deficiente tamen Duce ulturam esse injuriam, & tunc Ducem parva stipendia suis militibus dare, Florentinos ubertim pecunias tradere: se ductores belli futuros, si ad Florentinos deficiant, qui omnes praestent ex nobilitate & potentia; apud Ducem plures fore, qui eis non sint cessuri; melius propterea esse, cum Florentinis primum locum tenere, quam cum Duce tertium aut sextum: ac sic juvenes in suam sententiam traxit, adeo ut qui victores essent, jam victi viderentur. Sic saepe plus lingua quam gladius confert. Hac re magnum esse Picenini nomen coepit, tuncque Filippus hominem apud se habere magno studio quaesivit; nec deceptus est, nam more Italico milites ad tempus serviunt, quo finito liberi sunt, possuntque, cui velint, alteri servire, etiam hostibus; non enim propter causam, sed propter pecuniam serviunt. Finito igitur tempore conducturae suae Nicolaus ad Ducem defecit, magnoque honore susceptus est, crevitque laus hominis, cum victis apud Magalenum Ducalibus exercitibus; is solum hostibus diu restitit, magnaque virtutis suae ostendit experimenta. Cum nomen ejus clarum esset jam ubique, jamque Dux exercitus creatus esset Franciscus Sfortia, invidere homini coepit; aegreque tulit novum hominem sibi praeferri; hinc inimicitiae modo occultae modo apertae inter eos esse coeperunt. Is Venetorum & Ducales exercitus in pluribus locis nunc prostravit, nunc fugavit. In Valle Tellina Georgium Cornarium devicit; classem Padanam immissis terrestribus militibus coepit.

Apud

Apud Imolam Florentinorum, & Venetorum copias ingentes perturbavit; denique duces exercitus in potestatem recepit. Florentinos, qui Lucam obsidione cinxerant, & viginti hominum millia cum infinitis machinis illuc habebant in campo prostravit, quamvis sibi multo minores essent copiae; Lucamque diù obsessam liberavit. Januenses qui se tutissimos suis in montibus reputant cum advenis prostravit, & usque ad moenia urbis per vias inaccessas & asperrimas Alpes, depulsis incolis, duxit exercitum, recuperassetque tunc Januam, quae jam rebellaverat, nisi qui arcem tenebant jam se dedissent. Is cum esset in campo vicinus exercitui Venetorum apud Abdua sagitta fortuito casu missa in magnum Ducis Milani damnum nervum colli hujus percussit. Ex qua re vir, alias intrepidus, & infatigabilis, qui semper in negotio erat, media parte perditus est, nam latus sinistrum ex toto perdidit, nec unquam postea illius lateris potens fuit. Is postquam Duci servire coepit, nunquam variavit, inconcussaque fide servivit suo Principi, tum quia beneficia plurimà hinc recepit, Dux exercitus & Marchio de Peregrino creatus; tum quod Florentini eum tanquam proditorem in palatio suo depinxerant, quae injuria eum asperiorem faciebat; sed Florentini postea metu concussi picturam deleverunt. Cum exinde multis cladibus tum Veneti quam Florentini debilitati essent, misit Philippus Franciscum Sfortiam in agrum Picenum, ut terram illam nomine Ecclesiae suoque teneret; nam Basileensis Concilii literas habuit. Post Piccininum in Tusciam misit, qui recepto Perusio patrimonium Ecclesiae undique perturbavit, coepissetque Eugenium in Roma, nisi jam ipse male custoditus a Romanis fugisset; volebant namque & ipsum ad Basileense Concilium mittere; coepit tamen Romam. Pulchrae res tunc Philippi erant; nam & Piccininus ex una parte patrimonio Ecclesiae recepto Florentiam venturus erat, & Franciscus, sibi melius quam alteri cupiens Marchiam suo nomine possidere coepit, Marchionatumque sibi ab Eugenio impetravit pace promissa, & Capitaneatu. Ob quam rem postea

ma-

magnae inter Piceninum & Franciscum discussiones fuere; vixque per Ducem prohiberi potuerunt, ne manus consererent, cum saepe structis aciebus invicem minitarentur. Sed vocatus est postea in Lombardiam Piceninus; Comes autem Franciscus apertus Philippi inimicus ad Venetos defecit. Post exules Florentinorum Piceninum in Tusciam traxerunt, qui cum exercitu ad V. lapidem & ad tertium venit. Florentiam ingressus per vallem Lamoni, ubi alias conflictus fuerat. Jam enim Florentini ad Ducem redierant. Nam is ipse Piceninus eos in bello apud Molam coeperat. In Tuscia ergo jam Burgum Sancti Sepulchri in potestatem obtinuit, tantaque trepidatio Florentiae fuit, ut Papa, qui illuc confugerat, iterum se capi timeret, ac de fuga cogitaret. Collegerunt tamen Florentini exercitum militesque Ecclesiae ad se vocaverunt, sic enim mandavit Eugenius. Cum ergo in propinquo utraque esset acies, Franciscus Piceninus, Nicolai Filius, avidus pugnae contra praeceptum Patris cum lecta militum parte pontem quemdam praeteriit, ac hostes invasit trans pontem, ubi cum periclitaretur, dum Pater auxilium filio praebet, & ipse in discrimen incidit; amissa namque majori parte suorum militum vix ipse cum filio evadere potuit: quae res magnam gloriam Picenini offuscavit. Plures tunc Florentini capti caput amiserunt; aliorum bona, qui his favebant, confiscata sunt. Is quoque Piceninus tractatu cum Veronensibus habito, Veronam intravit; sed cum Ducales copiae non subsequerentur, diffidens ipse civibus, cum Franciscus jam cum exercitu adesset, mox aufugit, & quia debilis erat, nec equitare poterat; cervicibus hominum ad magnum spatium portatus est. Hic Orlandum Palesinum omnibus Dominiis spoliavit. Hic Bononiam coepit, suoque nomine tenuit; post cum Felice, qui jam Papatum acceperat contra Eugenium concordiam quaerens, cum eum avarum invenisset cum Eugenio concordavit, rursusque in agro Piceno contra F. Sfortiam fuit, magnisque eum dominiis spoliavit. Ad extremum vocatus Mediolanum, cum jam pax cum Venetis foret, mortem obiit, ibique honorifice sepultus est.

De Sfortia.

VIII. SFortia vili apud suos loco natus, Cotimolam patriam habuit, quae villa est AEmiliae, parentes agri cultores fuerunt, ipse mulionis officium sequutus est; juvenis namque robustus domi manere nescivit, in exercitibus ore rusticanus homo, sed lingua manuque promptus, cum saepe ex vili statu magnos fieri homines videret, coepit tunc ipse praedari belloque se committere; cumque virtus sua laudaretur, adaugens animum plura belli egregia facinora commisit, relictisque mulis equestrem militiam nactus est, brevique in magnum virum evasit, ductarique cohortes coepit. Apud Nicolaum Estensem Marchionem armigeris praefuit, quo tempore dum essent inter Othonem, qui tunc Parmam Regiumque tenebat, & Marchionem simultates, vocatus est Otho ad colloquium vir magnus, & inter arma tenentes, nisi hoc unum gessisset, prudentissimus. Is fidens Sfortiae ad colloquium inermis venit; cumque castra Marchionis intrasset, salutassetque Sfortiam, illius gladio percussus est & occisus; ditatusque Sfortia nefandis spoliis militiam suam funestavit. Is postea in Regno Apuliae multa egregia belli facinora operatus est, pluresque sibi urbes subjecit, quas & filius postea diu tenuit, donec Rex Aragonum eum spoliavit. Exinde patrimonii Ecclesiae partem sibi usurpavit, sed veniente in Italiam Martino, Dux ejus exercitus fuit, contraque Braccium plures congressus habuit. Audivi ego ex patruo meo Joanne Tholomeo, qui sub eo militavit, tanta eum eloquentia fuisse vulgari, tantamque fidem apud suos commilitones habuisse, ut cum diebus quindecim cum toto exercitu lateret, essetque in nemore, & aspera hyems nives sparsisset, audissetque milites murmurare, ipsum per exercitum equitasse claraque voce dixisse: Boni animi estote socii, tolerate, tanta nobis paratur praeda, ut omnes hujus nemoris frondes aureae sint futurae. Credidisse sibi fere omnes, libentique animo perseverasse; nec enim mentiri Ducem arbitrabantur.

Is

Is postea insecuturus Braccium, cum eum in Regno Aquiliae trans flumen quoddam tenere exercitum sciret, flumen transire voluit; cumque Mango quidam ex dilectis in flumine periclitaretur, dum puerum adjuvare vult, ne submergatur, & ipse aquarum voraginibus absorptus est, cujus corpus nunquam inveniri potuit, quamvis cura filii magna fuerit, multique illud piscati fuerint, ut sepulturae mandaretur.

De Braccio de Montone Nobili Perusino.

IX. BRaccius de Montone inter Perusinos nobili loco natus militiam cum tribus equis incoepit; crevitque brevi tempore. Fuit vir facundus, honesta facie, sinistri lateris impotens, crudelis, nihil religionis sapiens. Humanae prudentiae magnus, animo maximus. Caesaris & Alexandri historias, clarorumque veterum gesta sibi continuo legi curabat, saepeque ejus in ore sermo is fuit: an hodie quoque alius Caesar fieri potest? Clero infestus fuit, nihil post obitum esse ratus. Temperans tamen erat vini cibique, nec luxuriae sese dedit, sed omnis ejus voluptas in armis fuit, & ut de se rumor esset, optabat, nec ad se plus pertinere putabat, utrum bonum an malum de se diceretur. Is tria necessaria esse dicebat Florentinis bellum gerentibus: *Aurum Aurum atque Aurum*, quod postea in proverbium venit. Postquam is auctus est, Tartaliam virum fortissimum reique militaris peritissimum sibi socium ascivit, ac cum eo contra patriam venit, Perusium sui juris facturus, cujus jam sibi plura oppida vindicaverat. Perusini in armis eum expectavere, Carolumque Malatestam, virum illustrem magnique animi, belli Ducem habuere: Fuerunt exercitus admodum vicini, nec procul erant a fluvio Tiberis; aestus ingens affligebat homines: petiverunt itaque Perusini duarum horarum inducias, ut fluenta praeterire possent, seque & equos bibere; nec renuit Braccius, quamvis sibi non esset opus fluvio, qui per castra sua undique vasa aquarum cum zucharo habuit. Sed dum Perusini bibunt, ordinesque rumpunt,

Tartalia: quid agimus, inquit, Bracci, jam jam bonum est invadere hostes, dum inordinati sunt; cumque Braccius dixisset; inducias habemus; quis, respondit Tartalia, duas horas mensurabit? ac sic in bellum itum est, victique sunt Perusini, & Carolus captus, exinde mox Civitatis Perusinae Dominus Braccius receptus est. Duae in ea urbe partes sunt, alii nobiles, alii raspantes appellantur; hos Braccius expulit, & per varias Italiae civitates exulant. Post haec Braccius Tudertum, Civitatem Castellanam, pluresque alias urbes Ecclesiae sui juris fecit; sic nomen ejus grande factum est, timerique coepit. Florentini XX. millia, Senenses VI. millia, Lucani IV. millia sibi in annos dabant, ne eos offenderet, nec sic fidelis Lucano Domino fuit. Nam cum accepisset ex Florentinorum literis Braccius, illum extra Lucam esse, morarique in Petra sancta, repente die noctuque iter fecit, priusque in agro Lucano visus est, quam venturus audiretur, quamvis plurium dierum iter cum exercitu facturus esset; coepissetque tunc Lucam, nisi Jacobus Marci filius omnes Senenses per celerem nuntium Lucanum de adventu Bracci praemonuisset; qui mox duabus horis ante Lucam intravit, quam Braccius veniret. Apportavit tamen Braccius magnam praedam, pluresque captivos advexit. Post haec Philippus Mediolanensium Tirannus audita hominis fama praeponere eum suis exercitibus voluit, quinque millia ultra stipendium dare. Sed homo cordatus sibi militare voluit, nec enim desperabat Italicum sibi Regnum vindicare. Plura sibi adversus Ecclesiam bella fuere, minitabaturque Papam expellere velle; simulque & Regno Neapolitano, & Ecclesiae patrimonio inhiabat, & quia urbs Aquila clavis Regni videbatur, hanc summa vi conatus est expugnare; XIIII. mensibus tam hieme quam aestate obsidionem illic tenuit. Sed Martinus timens ne capta urbe Romam veniret Braccius, uti minabatur, exercitum collegit, statuitque opem obsessae civitati ferre. Braccius alacer adventum hostium expectabat, & structis aciebus in plano morabatur. Copiae Ecclesiae per montem veniebant, nec descendere nisi

pau-

paulatim poterant, miseratque Braccius pedites, eisque praeceperat, ut cum Nuntius veniret, iter praerumperent descendentibus; facile namque pauci pedites multorum equitum iter poterant impedire. Intendebat enim Braccius postquam media pars hostium transivisset, iter praecludere, & cum his qui transissent bellum aggredi, eosque prosternere; nec dubius erat, omnes captos esse, qui sic descenderant: rursusque Piceninum ad custodiam urbis collocaverat, ne se cives a tergo irrumpentes invaderent. Cum ergo sic hostem descendisse putavit, nuntios ad pedites misit, qui perturbare viam inciperent. Sed fuerunt hostes hujus quoque rei praemoniti, insidiasque inter Braccium & pedites habuerunt, quae nullum nuntium transire permiserunt, & sic non moventes se pedites, quia mandatum non habebant, universos hostes descendere permiserunt. Quod cum Braccius vidisset, etsi doluit, minime tamen animo fractus hortatus pro tempore suos, bellum aggressusque, tanta vi pugnavit, ut quamprimum hostium acies perturbaret semperque robustior appareret. Illi autem, qui ad custodiam urbis erant, ut hostes perturbatos vident aegre ferentes se praeda privari, relicta custodia in campum currunt. Sed erant multae adhuc hostium acies integrae, quae denuo certamen inchoarunt, tum & populus Aquilanus, qui magnus est & ferox urbe armatus exivit, ac sic duplici modo circumventus Braccius a tergo & a fronte, licet suos plurimum hortaretur disturbatus est, omnisque suus exercitus infractus; quod ille videns, fugam arripuit: sed insecuti sunt eum duo Perusini ex raspantibus familiares Ludovici de Michelozis, qui eum norant, nuncque ab una parte, nunc ab altera fugientem feriebant, quibus ille, *heu miseri! quid agitis?* inquit; *pauperes estis, sinite me abire. Venite mecum, magnos vos faciam, nam & si hic conflictus sum, non tamen res mea ubique periit: si liber sum, magnus sum, servate me & vos*. Sed frustra locutus homo est: immortale enim odium erat: vulneratum igitur in gula Braccium capiunt, & in castra reducunt, ad quem cum omnes hostium Duces venissent, & hominem honora-

rent,

rent, solarenturque, & multa quaererent, nunquam loquutus contra exercitum, sive quod non poterat, sive quod magnus animus post conflictum loqui non dignabatur. Vixit ad tertiam diem, mortuusque in excommunicatione portatus Romam apud Sanctum Laurentium, extra muros, in loco profano sepultus est; sed eum postea instante Nicolao de Forte Braccius, qui fuit ei proximus, & vir potens in armis, Pontifex Eugenius absolvit, defossumque in Ecclesia Perusina cum magno honore sepeliri mandavit. Quamvis ejus cadaver, sive ossa dum Perusium portarentur, ingens grando cum tempestate secuta fuerit, quae universos agros ac vineas concussit.

De Francisco Sfortia Sfortiae prioris filio.

X. FRanciscus Sfortia prioris Sfortiae filius mortuo Patre admodum juvenis Philippi Ducis Mediolanensis adjutus pecunia milites convocavit, & quia positurus cum eis rationem libros matri afferri jussit, in quibus omnes fere milites aes magnum patri debebant; dixit illis: Commilitones mei Patris mortem scitis, illi plura debebatis, sed ego haeres sum, & quod Patri debuistis, jam mihi deberetis: sed libero ego vos omnes aere omnique vinculo, quo Patri tenebamini, estote igitur liberi, ut cuicumque servire velitis, sit vestrum; si mecum continuare vultis, libenti animo vos recipiam, nec verebor meum corpus vobis committere, qui paternum custodistis, sed fortunam meam omnem vobis credam, vosque uti duces sequar, qui longam militiam sub Patre cum honore duxistis. Quo sermone simul & beneficio libertatis allecti milites, nullum se alium passuros, Imperatorem clamant, quam eum, cujus Patris se militiae cingulis ornarint; factus est ergo communi omnium voce Dux exercitus, novaeque militiae sacramenta recepit; exindè Martino Papae Franciscus servivit, missusque contra Braccium, victoriam apud Aquilam obtinuit, tenuitque Patris dominia, quae in Regno habuit, Beneventum, Trojam, Manfredoniam, pluraque oppi-

oppida usquequo Rex Alfonsus regno potitus, eum privavit. Post haec Franciscus in Lombardiam se recepit, ubi eum Philippus Dux magnificè honoravit, titulumque domus suae, & Vicecomitum arma tradidit, filiam quoque unicam nomine Blancam quamvis illegitimam in matrimonium promisit, qua spe saepe eum frustratus est. Hujus plura fuerunt in Lombardia clara belli facinora. Contra Ducem Sabaudiae Philippi tulit insignia Sabaudiensesque fugavit: Marchionem Montisferrati, qui cum Venetis sapiebat, dominio expulit, multisque in locis gloria rei militaris enituit. Itaque par contentio inter ipsum, & Nicolaum Piceninum erat, quamvis enim dux militiae Nicolaus esset, non tamen inferiorem se Franciscus putabat, qui gener Principis habebatur; vetus odium, quod inter Sfortiam Bracciumque fuit, nondum erat extinctum, hinc vocati sunt Sfortiani, hinc Bracciani; Franciscus illis, Nicolaus istis præfuit, cujus locum Franciscus Piceninus subiit, dilectius tamen in Lombardia Francisci fuit, quam Nicolai; nam hic Tuscus, ille Romandiola semilombardus habebatur. Tum vero spes successionis favorem populi Francisco conciliabat. Post haec cum Franciscus in Marchia contra Eugenium mitteretur, ut Provinciam nomine Concilii susciperet, is causam sibi vindicavit, nec enim ex Duce bene contentus recesserat, dixerat quoque si oculum perdidisset Mediolani, pro eo non rediret. Multae inter ipsum discordiae & Nicolaum fuere, nunquam tamen bellare, totis viribus insecutus est ducem, ac Venetis & Florentinis adhæsit, ex quibus ingentem auri summam quotannis recepit. Vexillifer quoque Ecclesiae creatus est, post & omnium Venetorum Imperator creatus in bello contra Philippum imminere non est aspernatus. Itaque revocatus est a Thuscia Piceninus magnaeque copiae utrimque paratae sunt, vastatique agri ubique: ad extremum, cum suspicionem Venetis incussurus dux Mediolani, dum bella parant, de pace tractat, ac Franciscum Comitem omnium arbitrum differentiarum elegit: fortasse non putavit Venetos accepturos, filiamque suam, quum jam matura esset, dare sibi promisit, &

pro

pto dote Urbem Cremonensem. Sed Veneti perspecta Francisci erga se fide, simulque Florentini, & Januenses arbitrum acceptarunt; quod non sine damno ducis factum est, cum is magna dominii parte multatus fuerit: Franciscus uxorem recepit, & Cremonam item, ubi solemnes cum Blanca nuptias celebravit, tuncque a Principibus Italiae coepit illustrius vocari, tamquam non sua virtus, sed conjugis origo eum illustraret; post in Marchia se recepit, ubi a Rege Aragonum infestatus interdum succubuit, interdum vicit, fratrem denique in Esulb, qui rebellavit, amisit cum pluribus militibus: adhuc tamen potentia est in Marchia. Is cum esset in agro Bononiensi insidias passus est, nam Baldassar Ausidius, qui tunc Bononiae Praeses erat, ac militiam regebat Summi Pontificis capere eum dolo voluit, Nicolaumque Piceninum in subsidium advocavit. Sed non annuit Piceninus, Franciscumque præmonuit. Itaque incidit Ausidius homo nequam in laqueum quem fecerat, captusque in Butrino, in carcere Firmano necatus est, magnisque suppliciis affectus. Verum quia de Baldassare fecimus mentionem, non abs re est unum ejus sceleratissimum factum referre. Antonius de Bentivoglis Eques, & juris interpres domo nobilis, ac Princeps Patriae pro factione diù extra Bononiam annis circiter quatuordecim, nam quandiù Martinus rexit, numquam intrare patriam potuit, sed in curia cum stipendiis tenebatur; ut vero Bononia ad Eugenium rediit, & ipse domum repetiit. Convenere igitur cives invisere eum domi, mittere munera, sequi eum quocumque iret. Tum Baldassar veritus ne sibi subiiceret urbem, hominem ad se vocat in praetorium quasi consilium initurus secum. Venit homo, atque ut ante Capellam fuit, in palatio arreptus a satellitibus, per scalas tractus est, nec permissus loqui; ad unum verbum absque confessione, absque communione, sine ullo spatio poenitentiae intra palatium circa limen portae truncatus est, vixque dicere potuit: Adjuva me Dei Genitrix. Hoc factum adeo civibus displicuit, ut tantus vir nobilis doctus praecipua bonitate praeditus, non confessus, nec condemnatus, sic neca-

necaretur, ut paulo post Civitas ipsa Eugenio rebellaverit, Piceninoque se tradiderit, quo tempore & Annibal filius Antonii illegitimus urbem intravit, multasque caedes fecit, ac postea cum Baptista de Cannetulo excluso Picenino, urbem rexit. Sed nec ipse diù vixit, nam postea Baptista eum occidi fecit, & tunc pars de Bentinvoglis insurgens Baptistam ipsum interemit pluresque suorum neci dedit, combussit domos, & sic nunc civitas stat, quamvis de more suo non diu mansura credatur.

De Nicolao Marchione Estensi.

XI. Nicolaus Marchio Estensis patri, quamvis illegittimus esset, successit, Ferrariam, Mutinam, Regiumque tenuit, Othonem Parmensem virum magnificum, & in armis potentem per ministrum Sfortiae interfecit, ejusque sibi dominia usurpavit. Vir magni consilii fuit. Cum inter Philippum Ducem Mediolani & Venetos perpetuae lites essent & immortalia odia, is quamvis esset medius, suaque dominia cum Venetis & Duce confinarent, ita tamen se habuit, ut non isti vel illi amicus, sed mediator crederetur, immo & saepe arbiter inter utramque partem fuit. Nam & quotiens de pace tractaretur, plerumque apud Ferrariam transigeretur, & Oratores haberentur. Ex quo factum est, ut quamvis tota Gallia Padana, quae nunc Lombardia dicitur, bellis flagraret, sola Ferraria, & adjacentes partes subditae pace fruerentur. Quicumque enim transitum voluit, admissus est, si sine damno transiret. Veneti qui diù terram Polesini tenuerant, eam sibi restituerunt; fuit vir pinguis, laetus, voluptati deditus; concubinas habuit multas, ex quibus liberos plurimos suscepit. Uxores legitimas duas habuit, ex ultima etiam prolem suscepit, sed non sibi in regno substituit. Fuit admodum felix, sed non finit fortuna eum semper esse felicem, nam filius quem ex concubina susceperat admodum pulcher primam ejus uxorem adamavit, ac ex illius provocatu cognovit, quod cum Marchio compe-

risset, usus magis rigido, quam sapienti consilio, eo filium, & conjugem truncari capite jussit, durumque sibi & suis civibus spectaculum praebuit, quae res cursum suae felicitatis interrupit. Is postea Leonellum fratrem illius in dominio sibi substituit quamvis illegitimum, & quamvis proles legitima esset, quod cum Filiolus vir potens apud eum improbaret neci datus est. Marchio ipse Mediolanum vocatus gubernationem nomine Ducis suscepit, ibique mortuus est. Is moriens, successionem Leonelli filii adamavit. Literarum studia plurimum adamavit, favitque ingeniis; Hugonem namque Senensem, qui fuit omnium Medicorum suae aetatis Princeps, quo nemo in Cathedra melius legit, nec in cameris jucundius aegros visitavit, cum magna stipe ad se vocavit pluraque sibi tradidit, & possessiones, & domos. Is quoque Guarinum Veronensem Graecè, ac Latinè peritissimum Oratorem, ut suos instrueret filios, ad se accersivit, ditatumque in magno honore habuit. Nec Joannem Aurispam Siculum utriusque linguae peritum neglexit, sed eum Meliaduci filio Protonotario Magistrum tradidit, ac possessionibus, & beneficiis ditavit, qui hodie Secretarius est Apostolicus.

De Leonello Marchione Estensi Nicolai filio.

XII. LEonellus Marchio Estensis Nicolai filius quamvis non integer genere, integerrimus tamen virtute Patri successit, qui sub Guarino edoctus & carmen facere, & epistolam scribere optime novit. Filiam Joannis Marchionis Mantuae duxit uxorem, qua mortua illegitimam Regis Aragonum filiam suscepit. Haec cum ad eum venisset, per Venetias transitum habuit, & in Realto propter populi magnitudinem plures submersi sunt, nam latera pontis ceciderunt. Is patriam suam in magna pace gubernat, qui etsi non reputatur patri equaliter liberalis, qui tamen aeque prudens est, & magis castus, conjuge namque contentus est, admodum diligitur. Cum Caesar Fridericus me Romam ad Pontificem Eugenium misisset, mandata mihi

ad hunc dedit; ideo meo in reditu ipsum visere decrevi, quem comperi in villa, cui Portus est nomen. Arx ibi est admodum insignis, sunt & extra arcem domus egregiae, quas Nicolaus Pater ad voluptatem paraverat. Is ubi me adesse sensit, jussit, in domo paterna me recipi, atque parari prandium, quod sumptuose fecit; post dum adhuc consederem, exivit hic arcem, puerosque suos pila ludentes contemplabatur, quasi me expectans, ad quem cum venirem suavibus verbis exceptus sum. Communicata sunt illic inter nos, quae Caesar mandaverat, nam res erant magni ponderis, & sic ad horas duas collocuti sumus. In sero venit frater ejus admodum pulcher Borsius nomine, quem Ferrarienses quasi Deum colunt. Hic forma, plusquam dici potest, pulchra est, facetus & modestus liberalitate insignis, robustus corpore, nulla in eo menda est; multa mihi is retulit Caesari communicanda, plurimumque ob reverentiam Caesaris me honoravit. Revertebatur is tunc a Rege Aragonum, cum quo mensibus sex fuerat. Post ego iter arripiens, in Alamaniam redii.

De Joanne Francisco de Gonzaga.

XIII. JOhannes Franciscus de Gonzaga Patri in Dominio Mantuae successit. In bellis quae Veneti adversus Philippum Mediolanensium Ducem gessere, cum Venetis plerumque sensit, ductorque fuit exercitus, quem dum egit, semper ei bene successit. Filiam unam Leonello Estensi in matrimonium copulavit, quae mortua est, altera quam pulcherrimam ajunt, & in literis peritam, religionem post patris obitum ingressa est. Filio seniori uxorem ex domo Brandeburgha dedit sororem ejus Marchionis Federici, qui nunc est Elector Imperii Barbaram nomine moribus & forma laudabilem. Is cum Sigismundus Roma rediret, Mantuamque transiret, magnos illi honores impendit, ob quam rem Sigismundus ei Marchionatus contulit dignitatem; urbique Mantuanae universalis studii privilegia concessit, quod tum Albertus, tum Ferdinandus Caesar postea

confirmarunt. Post haec Ludovicus primogenitus ejus relicta domi uxore ad Ducem Mediolanensem defecit, quae res adeo Patrem exasperavit, ut eum mox emancipaverit, poenamque capitalem fecerit, si quis eum in ejus dominiis filium suum appellaret. Sigismundo quoque scripsit, ut eum successione Marchionatus privaret; timebat enim, ne suo jussu filius abiisse crederetur, Venetique propterea minus sibi crederent. Sed Sigismundus nihil horum fecit, quamvis tunc Philippo esset indignatus. Ludovicus autem magno honore Mediolani suscipitur, atque inter alios belli ductores magno loco habetur; fit suspectus Marchio Venetis, ob quam rem & ipse postea duci se junxit, & in campis contra Venetos militavit: spes fuit ex hoc Marchionis motu Venetos comprimi, secuturumque Ferrariensem Marchionem. Sed is ut pacem habuerat cum Venetis, observavit, promissaque Verona erat Mantuano, si caperetur, quae res non parum duci nocuit, nam Veronenses inviti dominatum Mantuanum ferebant, Veneti autem magna vi restiterunt, ipsique Mantuano Pischeriam oppidum abstulerunt, & nonnulla alia fortalitia, quae numquam recuperare potuerunt Mantuani. Juvit autem Venetos in hoc bello constantia Brixianorum, qui sex mensibus obsidione cincti quamvis penuriam rerum haberent, & muri ex magna parte ruissent, nunquam tamen de deditione verbum fecere; erant enim Guelfi, nec Gibelinum dominum volebant, cujus etiam dominatum tyrannicum arbitrabantur. Itaque necesse fuit dissolvere obsidionem in pace, quae post acta est. Jussus est Marchio Lignanum oppidum, quod a Venetis eripuerat, restituere, sed quae perdiderat, recuperare non potuit. Itaque poenituit eum consilii sui, in morbumque post incidit, qui eum per plures annos contaminavit. Tandem, ut decet Christianum, Sacramenta Ecclesiae recepit, testamentoque facto vitam exuit, quatuor filiis superstitibus. Sed Ludovicum Marchionem sibi substituit, qui hodie cum multa sapientia regit. Amicus tamen ducis Mediolanensis infensusque Venetis, quem & Fridericus Caesar in Marchionem confirmavit.

De

De Francisco Foscaro Duce Venetiarum.

FRancifcus Fofcari cum apud Joannem Papam in Cremona legationis munus obiret, in Ducem Venetiarum electus eft, fub quo magni motus in Italia fuerunt; ipfeque populus Venetus plurima bella geffit nunc adverfus Sigifmundum Caefarem, nunc adverfus Philippum ducem Mediolani, nunc contra Januenfes. Is Venetos mari contentos parumque terrae fidentes adhortatus eft bella gerere terreftria; cumque fenes diffentirent, juventutis confilia juvit, hifque adhaefit. Sub Francifco Brixia capta eft, Bergamum quoque receptum multaque in valle polana Abduae oppida capta, conftitutufque limes inter ipfos & ducem Abdua fluvius. Sub hoc Ravenna recepta eft. Sub hoc Francifcus Spinula Januenfis vir magni animi, qui claffem magnam contra Venetos armaret, captus eft: hic Spinula diù fidelis duci fuit, fed cum Rex Aragonum in mari victus coeptufque, & Mediolani ductus libertati donatus effet, indignatus, hoftem fuae urbis qui captus effet, dimitti, cum ab eo Sardinia, Corfica ac Sicilia recipi potuiffet; fimulque intolerabile jugum Opizini de Abate, qui tunc Januam regebat, concives fuos ad rebellionem duxit, nec nunquam poft Janua ad ducem venit. Sub hoc Fofcaro urbs Patavina, quae confpirare coeperat, tutata eft, ac Marfilius captus neci datus. Sub hoc Carminiola propter fufpicionem interemptus; fub hoc concordia facta eft inter Sigifmundum & Venetos, factaque eft confoederatio contra ducem Mediolani, conclufumque eft omnibus viribus illum depellere; nam Veneti antiqui illius hoftes erant Sigifmundus deceptum fe ab eo conquerebatur. Itaque pacta erant, ut quidquid ultra Abduam reciperetur Imperio cederet, quidquid citra invaderetur, Venetis. Is Fofcarus, cum aliqua fua confilia non reciperentur, biretum, quod eft ducale infignium, depofuit, refutavitque ducatum; fed cives haud facile putantes fe talem ducem reperturos, ut refumeret Principatum, hortati funt, & coegerunt eum. Hujus filius

in

in suspicionem adductus, cum venire ad se satellites audivit, nam & unus ex servis ejus consiliorum suorum particeps jam ad supplicium arreptus erat, onerata navicula admodum veloci cum quadraginta remigibus multoque auro Tergestum aufugit. Sententia contra eum in Senatu lecta est, illum relegationem apud Neapolim Romaniae observare debere; numquam urbem excedere, numquam se ducis filium dicere, tribus famulis contentum esse, nullum se natu majorem praecedere; id si fecerit filios ejus bona avita recipere posse, sin autem privatos omnes esse haereditate. Lata est sententia per octo viros, qui id partis haberent, inscio duce; quam cum Foscarus audisset culpam, inquit filii mei doleo, poenam non doleo. Missa mater ad filium ut relegationem suaderet, obtinere non potuit, pater tamen dissimulavit; sed credibile est eum dolere; vir fuit enim semper fortunatus, nunc autem in filio infelix est. Non magni commodi est Ducatus Venetiarum, sed maximae servitutis; est enim organum civitatis. Itaque enim dicere, proponore, responaere omnibus oportet, quod hic vir miro modo benefacit, namque semper & ornatè & prudenter respondet, est enim plenus dictorum. Numquam domum exire potest, nisi praefinitis quibusdam diebus: habet suum stipendium, quod tamen non est magnum. Convivia certa per annum facit, ubi praestantiores cives advocantur, & si qui sunt Oratores Principum aut Communitatum magnarum. Magnus vir apud eum est Andreas Donato, quod Veneti saepe in legationibus fatigant, illum enim Sigismundus militem creavit, apud quem saepe fuit. Inter litteratos apud Venetos Primatum obtinet Franciscus Barbaro, qui latinam & graecam linguam novit. Veneti jus civile parvi faciunt, nam consuetudinibus & municipali jure utuntur, quamvis nonnunquam ubi res dubia est, jurisconsultos interrogent, hinc si qui sunt in studiis Veneti, plerumque aut artibus; aut medicinae, aut oratoriae student, quidam jus canonicum sequuntur, qui beneficia quaerunt, habent autem scholas generales Padua, ubi plurimos praestantes

tes

tes viros habuere: ficut Raphaelem Fulgosum, & Raphaelem Cunianum, qui multa in jure civili scripserunt, ibique sepulti sunt. Paulus quoque de Casino illuc legit, & modo jacet. Legit ibi Hugo Senensis Medicorum Princeps. Jacobus de Forlivio Medicus maximus, ibique jacet. Jacet ibi Paulus de Venetiis, qui plurima in Logica scripsit. Antonius de Cornusano, qui inter Medicos claruit. Prosdocimus, qui gibbosus struncatusque vir tantum juris didicit, ut omnibus esset aequalis, cujus post uxorem Antonius de Rosellis accepit, qui modo ibidem tenet cathedram, qui praeceptor meus Senis fuit, nam sub eo jus civile audivi. Is nunc senex est; opus edidit de Monarchia, quod adhuc non publicavit. Ibi quoque Johannes Franciscus de Capitibus listae, ibi Jacobus de Puteo singulares juris interpretes, multique alii clarissimi viri illic nostris temporibus floruerunt, qui ibi sepulti sunt. Petrus quoque de Abano illuc obiit, qui fuit maximus inter Nigromantes.

De Cosmo Mediceo Florentino:

XV. Cosmus de Medicis Florentinus ab adolescentia mercaturae traditus maximas opes comparavit: in tantumque ditatus est, ut nemo in tota Italia par sibi civis crederetur. Ubi auctus est, Reipublicae se tradidit, adjutusque suffragiis popularibus, nam plebem multis sibi beneficiis allexerat, in magnum virum evasit. Duae tunc factiones inter Florentinos fuere; alterius Princeps Cosmus, alterius Nicolaus de Uzano fuit, cum quo Pallas Strotius Raynaldus de Albitiis omnesque urbis primores sentiebant, nam & consilia Nicolai omnia pacis erant; Cosmum plebs omnis sequebatur, & cupida novitatis juventus. Is quoque pecunia plures juverat, qui ejus latus stipabant. Sedulae igitur in Senatu contentiones fuere, cum aliud Cosmus aliud Uzanus sentiret; ubi tamen suffragia petita sunt, Cosmi sententia obtinebat. Hinc Cosmus decerni adversus Lucanos bellum extorsit. Quod cum absque

cau-

causa moveri videretur, placuit, sub figmento gerere; Nicolaum namque de Stella Perusinum, quem magno stipendio nutriebant, remissum fingunt, esseque liberum hominem nulli obligatum, ac sic eum in agrum Lucanum misere. Cui cum prospere cederet, manifestè adhaeserunt, obsidionemque ante urbem Lucanam posuerunt. Hinc origo novi belli cum Duce Mediolanensi fuit. Nam cum Tirannus Lucanus auxilium Philippi postulasset, missus est Franciscus Sfortia, qui obsidionem Florentinorum sola sui adventus fama dissolvit; ac postea, quum, Tiranno Mediolanum ducto, rursus Florentini apud Lucam obsidionem haberent, Piceninus cum exercitu venit, qui illos conflixit, magnaque clade Florentinos affecit. Cum ergo consilia Cosmi malum successum haberent, favor ejus diminutus est, & resurgentes Nicolaitae Cosmum quasi populi seductorem ex urbe expellunt, & apud Venetos relegant, ubi diù exilium toleravit: sed plurimae in diversis partibus ejus nomine mercaturae fiebant, facile se mantenuit. Interim jam mortuo Nicolao cum Gregorius Pontifex Roma fugiens, Florentiam venisset, solutis confinibus Cosmus occultis itineribus clam urbem intravit, factionemque suam jussit in armis esse. Nec pars alia deses fuit, sed armis arreptis, audito Cosmi adventu, pugnare decrevit. Cum ergo hinc atque inde in armis populus esset, credereturque succubiturus Cosmus, Joannes Vitelescus Alexandrinus Patriarcha ex palatio Apostolico in urbem descendit, jubetque omnes ab armis discedere; vocat partes ad ad Summum Pontificem, illum namque rem compositurum ajebat. Ponuntur igitur arma, iturque ad Pontificem; sed interim Cosmiani tela resumunt, & palatium invadunt. Quod ubi adversarii senserunt, dolos cognoscentes coeptos se vident, atque, ut possunt, fuga salutem quaerunt. Sic Cosmus rursus civitatis gubernacula recuperavit; tunc non cum sociis, sed solus regnum tenuit; mox enim ut regimine potitus est, alios proscripsit, alios relegavit, qui contra se senserant; ex quibus plerique in exilio mortui sunt, ut de Raynaldo Albitio ferunt. Pallas senex aeque cum filio Patavii rele-

legatus Philosophiæ se tradidit. Sed Cosmus quamquam Dominus civitatis existat, ita tamen se gerit, ut privatus videatur, & esse potius quam videri vult. Nec enim magnum famulatum habet, sed unico servo contentus per urbem incedit, locum senioribus tradit, equitibus cedit, doctores anteponit, ad consilium raro non vocatus accedit; cum eò venit, primores censere finit; ubi ad se ventum est, quasi nihil de re sciret, ita loquitur, donec calefactus sententiam suam multis suasionibus aperit. Is praeterea cum civitas pecunia indiget, proprio aere succurrit, sibique propterea hipothecari urbis redditus vult, qui magna ex parte sunt sui: Cives admodum multi sibi obnoxii sunt, qui etsi non rogentur, quae tamen Cosmo placent, promere nituntur; singuli enim eum quasi Dominum venerantur. His artibus pluribus annis Florentiam venit, multi tamen in eum oculi erecti sunt, ejusque vel necem vel exilium expectant. Hic egregias aedes aedificavit, quales nec Caesarem dedecerent, multa in rure aedificia construxit, altaque palatia, templa quoque erexit miri operis. In Florentia claustrum S. Marci ubi LXX. Monachi Sancti Dominici commorantur infra triennium a fundamentis ex integro confecit, ubi Oratorium honestum ambitus magnis marmoreis columnis fulciti, & Bibliotheca mirabilis Latinis & Graecis libris referta. Huic Philelphus, qui oratoriam Florentiae legit, infensus fuit, nam parti adversae favebat, quae res eum ex urbe præcipitavit. Is Cosmus Venetorum amicitiam semper fecit maximi, ducem Mediolanensem odio habuit, Senenses contempsit, plurimasque inter eos serere discordias studuit. Eugenius partem tuetur, Imperii se subditum dicit verbo, negat opere. Ejus tempore Lucani in amicitiam Florentinorum reducti sunt. Bononienses in foedus accepti. Cum Philippo Duce pax facta. Franciscus Sfortia in amicum receptus cum stipendio. Cerpellonus qui ductor Florentinorum erat, cum injuriatus uni ex prioribus fuisset, ex altissimis fenestris præcipitatus est, moxque truncatus capite. Nicolaus Piceninus conflictus; exercitus ducalis prostratus; Sigismun-

mundo Caesari negatus versus Romam transitus, quamvis eis invitis transiverit. Cum Senensibus qui publico bello admodum multa oppida atque castella vi coeperant, pax facta, receptaque quae perdita erant. Cum Januensique colligatio facta est.

De Leonardo Aretino.

XVI. LEonardus Aretinus non obscuro loco natus literis sub Colluccio Pierio, qui tunc Florentinorum Cancellarius erat, edidicit. Postea sub Emmanuele Chrysolora Constantinopolitano qui sub Johanne, seu Alexandro Papa Italiam intraverat, priscumque modum scribendi, ac Ciceronianum morem induxerat, magis profecit. Nam Colluccius ineptias quasdam sui saeculi retinebat; itaque superatus est a Leonardo. Hic post in Apostolicum Secretarium creatus est, ac cum Johanne & Martino Constantiae fuit; deinde mortuo Colluccio Florentini eum in Cancellarium receperunt. Scripsit hic admodum ornatè. Ex operibus Aristotelis Ethicam Œconomicam & Politicam traduxit in latinum; nec enim probat priorem translationem. Vitam Ciceronis ex pluribus authoribus conscripsit. Ex Plutarcho virorum illustrium plures vitas in latinum vertit. Xenofontem quoque traduxit, ac Basilium. Primum Punicum bellum ex diversis authoribus confecit. De laudibus Florentinae urbis tractatulum edidit. Scripsit Esagogas, scripsit gesta Florentinorum, scripsit de temporibus suis, de re militari, de utilitate disputationis, de gestis Gothorum. Cum Nicolao Nicolo Florentino singulari usus est amicitia, postea tam magnae inter eos contentiones exarserunt, ut nec Summi Pontificis opera, qui id maxime optabat, reconciliari potuerint. Hinc invectivam in Nicolaum Leonardus edidit; Nicolaus autem non scribendo, sed loquendo carpebat illum. Is enim quamvis doctissimus esset, magnique judicii, itaut inter omnes arbiter de scientia reciperetur, essetque Latinus & Graecus, nunquam tamen vel scripsit, vel loquutus est latine; diffiderat enim ingenio suo, nec se aliorum judiciis com-

mit-

mittere volebat, cum ipse esset in omnes maledicens, nec cujusquam opus probaret: nullum enim viventem commendavit. Ex mortuis solum quatuor, Platonem, Virgilium, Jeronymum, & Oratium. In libris autem circiter quatuor millia aureorum moriens reliquit. Cum Leonardo floruerunt Ambrosius de Angelis, qui fuit Camaldulensium Magister Generalis, qui & ipse plurima ex Graecis operibus in Latinum vertit. Qui Basileam missus orator ab Eugenio gravem & luculentam orationem habuit. Qui Sigismundum ex jussu Apostolico in Ungaria visitavit, ac postea reversus in pace mortuus est. Floruit & Guarinus Veronensis, qui apud Ferrariam Oratoriam docet, qui & Plutarchum de alendis liberis latinum fecit. Hoc etiam tempore magnus est habitus Poggius, qui licet lingua ignarus fuerit, nulli tamen in dicendo fuit inferior. Hic apud Constantiam in Secretarium receptus est Apostolicum, ubi & de morte Hieronymi Bohemi elegantem scripsit epistolam. Cum Guarino de Scipione, & Julio contendit. Cumque ipse Sci ionem exponeret, ille autem Julium, plura utrinque scripta sunt: Scripsit de Avaritia elegantem tractatum, quamvis ipse more hominum, qui aliena potius, quam sua praenoscunt vitia, nequaquam liberalis esset, Scripsit de infelicitate Principum, de nobilitate, & confabulatione, quae suis moribus potius quam famae consentiunt. Is cum jam senex adolescentulam uxorem admodum pulchram duxisset, atque ab amicis increparetur, opusculum non infacetum neque inordinatum, an seni sit uxor ducenda, composuit. Hoc tempore etiam Andreas Mediolanensis ex ordine Augustinensium, quem Senis audivi, historiarum scriptor floruit. Et Antonius Raudensis ex ordine Minorum qui librum de elegantia latini sermonis composuit. Tum & Bartholomaeus de Montepolitiano quem Martinus Papa in secretarium recepit, atque adeo dilexit, ut unicum eum Referendarium habuerit; illique soli omnia crederet. Tum quoque Johannis Lairis nomen, & Antonii Panormitae magnum est habitum, sed omnes superavit Aretinus. In dicendo tardiusculus erat, & nisi praemoni-

pitus nihil dicere potuisset; ubi vero ex tempore loquutus est quasi amens videbatur. Huic mortuo in Cancellaria Florentinorum Carolus Aretinus successit, Latinis ac Graecis Literis madidus est. Carmen elegans facit, nec minor est in oratione soluta. Hujus primi versus, quos viderim, fuerunt ex Homero traducti, qui bellum murium & ranarum referunt, sed vir grandior factus maturiora conscribit. Apud Senenses hoc tempore Cancellarius fuit Bertus Antonii filius vir etiam elegans; sed postea novum morem invenerunt Senenses, & quod nusquam est, officium Cancellariatus annuum fecere, ut tunc cesset, quod coeptum erat agnosci. Post apud Senenses crevit Franciscus Patritius, quem admodum peritum dicunt, nam linguam utramque novit, & Oratoriam docet.

De Bernardino Senensi.

XVII. BErnardinus Senensis nobilibus ortus natalibus eloquentiae studiis juventutem suam, ac juri Pontificio tradidit, & post spiritu Dei plenus, mundo renuntiavit; erogatisque bonis suis erga pauperes religionem ingressus est, ac Ordinem divi Francisci sub rigida observatione professus. Ubi cum aliquandiù corpus suum macerasset, ne gratiam sermonis, quam sibi Deus tradiderat, incassum teneret, praedicationis verbi Dei officium assumpsit, dicque in Lombardiae partibus coram populis praedicavit, multosque homines a malis operibus abstraxit. Nam & in Mediolano, & in Papia, in Bononia, in Vercellis, in Padua, in Verona, in Venetiis, in Tarvisio tamquam propheta auditus est. Erat enim in dicendo facundus, mirisque modis homines ad lacrymas trahebat; vitia sic exterminabat, ut quoslibet in eorum horrorem adduceret; virtutes vero sic commendavit, ut ad earum amorem quemlibet adduceret. Et quoniam vita ejus sancta erat sine animi macula, qui vivebat in paupertate, nudis pedibus ambulans, unica tunica ex lana contentus, qui perseverabat in jejuniis & orationibus, miro modo populos alliciebat. Hic & foemi-

nas

nas deponere ornamenta capitis, coronas, ferta, crines alienos, & homines fugere; aleam ludosque malos in tantum trahebat, ut omnia hujusmodi sibi afferri, & in publico comburi, faceret. Is quoque in tabella pictum nomen Jesus deferebat, hominibusque adorandum ostendebat, multumque suadebat ante ostia domorum hoc nomen depingi, ob quam rem accusatus est apud Martinum Pontificem, sed minime convictus, nam quaecumque is dicebat, & vera erant, & sancta. Quia tamen hanc novitatem nonnulli male recipiebant, jussus est, ne amplius hoc nomen populis adorandum offerret, ne plus illi, quam Sacramento Eucharistico deferetur honoris, quod tamen ipse minime afferebat. Is cum Senis praedicaret, me in tantum commovit, ut paululum affuerit, quin & ego Religionem suam ingrederer. Sed amicorum preces me retraxerunt, quod pro meliori recipio; nescimus enim quid magis nobis expediat. Hujus vestes homines, dum transiret, tamquam sanctas tangebant. Cum Senis in foro praedicaret, ingens turbo minaretur pluviam magnam, vellentque omnes recedere, quia sub Dio erant, timebantque pluviam: state, inquit, viri, & genibus flexis adoravit Deum, jussitque in virtute Jesu nubem abire, quo facto, solutis absque pluvia nubibus, prior serenitas rediit. Is postmodum Romae praedicavit, sed primo contemnebatur ab his, qui non audiverant eum, cumque nonnulli causa irrisionis potius quam devotionis ad eum accederent, mutata opinione, numquam ejus sermonem deserebant. Ex quo factum est, ut tota eum Roma audiret, Cardinalesque ac Papa ejus sermoni interessent, magnusque & mirabilis apud omnes haberetur. Hic cancellos, qui erant ante domos civium destrui mandavit, erat enim mos, ut qui hominem occidisset, dum in sua domo atque cancellis maneret per Rempublicam capi non posse; sed licere adversae parti eum expugnare. Itaque plura sic fiebant homicidia, quae Bernardinus prohibuit. Perusii quoque mos erat, in annis singulis cives inter se lapidibus pugnare armatos corio, in quo praelio quotannis plurimi interficiebantur.

Sed

Sed & hoc Bernardinus vetuit, cum inter eos praedicaret. Post haec mortuo Senensi Episcopo, vocatus est per civitatem, Martinusque consentiebat, sed ipse nullo pacto Episcopatum acceptare voluit, dicens: gratias esse diversas, aliis enim datam esse sermonis gratiam, aliis regendi; similiter etiam & duos alios episcopatus recusavit. Ad extremum cum annis circiter quadraginta populis, singulis fere diebus, praedicasset, apud Aquilam urbem migravit ad Dominum; ubi corpus ejus reconditum infinitis miraculis claret, & duo item pro ejus canonizatione sunt objecta ante Romanum Pontificem Concistoria. Ocularia ejus Philippus Dux Mediolanensis obtinuit, nam dolorem oculorum patiebatur. Fuit vir macerrimus, nam jejuniis se extenuavit, sed semper jucundus & hilaris erat, nec unquam facies ejus visa est tristis, nisi tamen de aliquo publico crimine doleret. Plures reliquit virtutum suarum sectatores, è quibus praecipuus fuit Albertus de Sarthiano, qui eloquentiam doctus sub Guarino litterisque secularibus apprime instructus, & ipse postea Minor factus sub Bernardino eloquentiam Dei didicit, praedicavitque populis cum magna gratia. Hinc & Eugenius Pontifex Maximus Jerosolymam eum misit, ut specularetur facta Soldani; qui reversus & AEgypti, & Indiae negotia, uti se habebant, edocuit, & quomodo vinci possent, monstravit. Jacobus quoque ex Marchia Ordinis Minorum hujus Bernardini discipulus fuit, qui multis gentibus verbum Dei annuntiavit, attenteque auditus fuit. Tempore Bernardini clari praedicatores habiti sunt Antonius de Massa, qui graecis, & latinis literis eruditus erat, & Generalis Minorum fuit, ac post suae urbis Episcopus interiit. Claruit tunc & Angelus de Senis, qui & ipse Generalis Minorum fuit multae doctrinae magnaeque eloquentiae pater. Tunc etiam Gabriel de Spoleto, qui etiam post Episcopus fuit, magnus verbi Dei praedicator, Theologus & Philosophus praestans, sed impari cum Bernardino sanctitate, ob quam rem nec tantam audientiam habuit. Is dicebat obligatum esse hominem adimplere quaecumque bona facere

cere voluisset, quae res cum me tangeret, nam & ego volui aliquam religionem intrare, Bernardinum usque Romam petii, consuluique, qui id se negavit unquam comperisse, bonamque mihi mercedem fecit.

De Martino Sozino Senensi.

XVIII. MArtinus Sozinus Senensis in jure civili Pontificioque admodum claruit; scripsit de sortibus, carmen fecit elegans, prosa scripsit ornata; pinxit, scripsitque manu propria admodum pulchre. Cum juvenis fuit, pila lusit, lapidem jecit, luctari scivit, in musicis & literis novit, saltavit, omnia scivit, quae hominem liberum scire fas est, sed cantare ignoravit. Geometriam, Arithmeticam, Astrologiamque novit, tum vero in agendis rebus peritissimus fuit, quae res apud suos cives eum suspectum reddidere. Hunc Eugenius Pontifex Advocatum Concistorialem creavit, libenterque in Romana curia habuisset, sed cives eum non permiserunt. Ejus tempore floruit apud Senenses in jure civili & Pontificio Petrus Peccius, quem ego praeceptorem habui. Tum Petrus de Michaelibus qui in regimine civitatis linguae beneficio magnum se fecit. Tum Thomas Deccius multa memoria pollens, ac Bartholomaeus Burgensis vir magni ingenii. Post crevere patrueles mei Jacobus Tolomeus, & Gregorius Baroncellus. Extraneus Salustius Perusinus, quem ego audivi, & Benedictus Barsius, ac Rosellus Antonius, & Flavianus Bononiensis.

De Joanne de Imola J. U. D. Lectore Bononiensi.

XIX. JOannes de Imola J. U. D. diu Bononiae legit, totumque corpus juris commentatus est, fuit enim sui temporis lumen juris, sed in agibilibus mundi ignarus. Hunc Imolae vidi in domo sua; cum Patavium irem, nec vidisse voluissem; minuit enim praesentia famam. Nam homo is erat, qui in scriptis totus esset, atque is non mortuus est, cum libri ejus

man-

manserint, extra quos nihil fuit. Ejus tempore Antonius Butrius vir doctissimus emicuit, & Flavianus, & Nicolaus de la Jaba, qui Universitatem Bononiensem in splendore tenuerunt.

De Thoma Fulgoso Duce Januensi.

XX. THomas Fulgosus diu Januae dux fuit, postea subintrante Philippo Duce Mediolani expulsus est, diuque apud Sarzanam mansit, ubi domum habuit, semperque vir magni consilii est habitus. Exin cum civitas jugum Ducis abiiceret, revocatus est, iterumque Dux creatus; sed nec diu sic mansit, orta enim seditione civili captus est, & in carcerem conjectus, ubi adhuc marcescit, quamvis homo nonagenarius sit, cui melius erat in pace vivere apud Sarzanam in arce nobili & optima, quam in turbine dominari. Hunc ego vidi cum sequutus Cardinalem Sanctae Crucis in Galliam ibam. Erat autem homo grandaevus, longus, macer, sermone gratus, multamque prudentiam praeseferens. Huic subrogatus est Raphael Adurnus, qui me praesente Papiae studuit; vir literarum multarum, prudentiae singularis.

De Bartholomaeo de la Capra Cremonensi.

XXI. BArtholomaeus de la Capra Cremonensis Apostolicus Secretarius fuit, & post Archiepiscopus Mediolanensis creatus est. Sed quia unus ex Vicecomitibus in eam se Ecclesiam intruserat, possessionem habere non potuit. Is mortuo Pontifice Maximo ad Sigismundum Caesarem se recepit, inque ejus consilio clarus fuit, cujus servitute saepe Caesar usus est, eumque legatum ad componendam inter Prutenos & Polonos pacem misit. Is Constantiae acerrimus pugnator con-

contra Cardinales fuit, minoribusque Praelatis adhaerebat, quae res eum perturbavit, ne unquam in Collegium reciperetur. Obtinuit tamen Ecclesiam suam excluso Vicecomite; in consiliumque Ducis receptus est, infaustumque illud matrimonium cum relicta Fazini Canis composuit, unde Philippus pecuniam habuit, & illa mortem tulit. Post missus est Romam petiturus Martini neptem in matrimonium Ducis; sed non erat animus Philippo, ut ea quae diceret, faceret; quod cum Martino magnopere displicuisset, indignatus Philippo fuit, & nisi infensus Florentinis fuisset, magno eum damno affecisset. Bartholomaeus quoque cum animadvertisset, se missum verba dare, admodum doluit. Reversus autem Mediolanum gubernationem Januae suscepit, diuque rexit honorifice. Post transeunte Sigismundo Mediolanum vocatus est, atque in Ecclesia Sancti Ambrosii Caesarem coronavit. Missus deinde Basileam adversus Eugenium plura machinatus est, nec unquam Juliano Carbinali credere voluit, hic, inquiens, tandem nos decipiet, rubeos namque pilos timeo. Tandem morte praeventus illic in Ecclesia Cathedrali sepultus est. Fuit autem vir admodum doctus, sed poeticae magis datus quam aliis scientiis, semper enim Virgilium ante se habuit, elegantesque versus fecit; scripsit tamen & prosam ornatam, maximeque in epistolari genere floruit; Vir fuit proceri corporis, voce sonora, in ipsa facie audaciam praeseferens. Huic defuncto Franciscus de Piciolpassis Bononiensis surrogatus est per Eugenium, vir multarum literarum, & assidui studii, vitae modestae graviumque morum. Hic Legatus Martini in eo bello fuit, quo Braccius occisus est apud Aquilam. Post Episcopatum Aquensem in extremis Galliae finibus sortitus est, ubi quamvis extraneus plurimum tamen dilectus fuit; sed revocatus in Italiam, Ticinensem Ecclesiam adeptus est, ac deinde Mediolanensem, in qua rediens de Basilea, mortuus est. Hic Praepositúram Sancti Laurentii Mediolanensis moriens mihi contulit, & quamvis in rebus Ecclesiae diversa sentirem, nam ipse Eugenio favebat, ego magis Concilio, ita tamen

me dilexit, ut singulis fere diebus in suam me mensam vocaret, jussitque tandem ut in celebritate Divi Ambrosii sermonem in Synodo haberem, quamvis nondum sacris Ordinibus essem initiatus, quod feci non sine auditorum gratia.

De Amedeo Sabaudiae Comite.

XXII. AMedeus Sabaudiae Comes mortuo patre cum maxima felicitate annis circiter quinquaginta vixit. Is addidit patrimonio suo plura dominia, ob quam causam per Sigismundum apud Chamberiacum in Ducem creatus est. In eo bello quod Anglici cum Gallis diù gesserunt, nec Regi Franciae, nec Burgundis, quamvis rogatus adhaesit, sed suos in libertate dimisit, ut cui vellent, cum stipendio servirent: qui tamen magis Anglicis adhaerebant, & sic postea nulla pars eum sequuta est. Cum Bernensibus foedus perpetuum percussit, civemque se fieri illius urbis passus est. Coepit & cum Venetis sentire adversus Ducem Mediolani, nam muneribus vincebatur; ob quam causam Philippus Dux multis implicitus bellis redimere hoc voluit, filiamque ejus Mariam ultro data civitate Bruxelles in matrimonium duxit. Marchioni Montisferrati multa eripuit oppida, cum is per Ducem Mediolani invaderetur, dicens: ea se tenere in custodiam; sed non restituit illo pacificato cum Duce. Ab Armeniacis suas terras invadentibus saepe se pecunia redemit. Uxorem duxit filiam Johannis Ducis Burgundiae, ex qua plures habuit filios ac filias; ex filiabus majorem habuit Philippus Dux Mediolani; alteram habuit Ludovicus Rex Siciliae, quo mortuo diù domi mansit, donec Ludovico Comiti Palatino renupsit, sibi in tertio gradu conjuncto; alteram in domo Britanica maritavit. Primogenitus ejus masculus dum in Italia laetus nimis exultat, contracto morbo interiit. Ludovicus postea ei proximabat, cui filiam Regis Cipri conjunxit. Philippus autem Comes Gebennensis ejus filius adolescens decessit, graveque paternae senectuti vul-

nus

nus inflixit. Is cum jam instaret Basileense Concilium in loco amoeno supra locum Lemannum, ubi parcum ferarum habuit ingentemque silvam muro cinctam, egregium aedificium instruxit, fossa muroque cinxit ad resistendum, ac sub titulo Sancti Mauritii Templum erexit, Collegiumque Canonicorum fundavit. Tum & septem militibus veteranis, qui jam pompis mundi renuntiaverant, ac sub habitu eremitae vivere vellent, mansiones struxit, victumque paravit, vestivitque eos griseis vestibus ad modum eremitarum: sed ne mundum omnino relinquerent, sub specie bona Cruces aureas in pectore, quod erat Diaboli potius, quam Dei signum, deferri voluit, ac bacillis se sustinere. Inter quos & ipse sibi primum locum elegit, Decanumque se vocavit, qui tantum VII. forent. Hunc primus ego barbatum in eo loco vidi, cui Ripallia est nomen quasi Riparia, cum Cardinalem Sanctae Crucis in Gallias sequerer, nam nos per locum ad se vocavit, eratque jam tum rumor Papatus libidine se in eremum recepisse. At is quamvis titulum haberet eremitae, non tamen dominatum neque regimen dimisit, sed in eremo quaecumque gerenda erant, administrabat. Solum sub eo habitu excusatior videbatur, si non omnibus se communem, ut antea, praebebat: nam priusquam eremum adiret, omnes tam parvos, quam magnos justitiam implorantes audivit: Clausus autem difficiliorem ad se aditum praebuit. Ibi cum fuissem, Petrus Nexetanus Consecretarius meus in pariete quadam nulli alteri quam mihi visus Ciceronis sententiam illam carbone notavit. Totius autem injustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. Post annos circiter octo cum in Basilea depositus esset Eugenius, jamque scisma esset, is in Pontificem Romanum electus est: Facto namque Conclavi Patres Concilii XXXII. Sacerdotes elegerunt, ex qualibet natione VIII qui cum Domino Arelatensi Summum Pontificem eligerent. Hoc Conclave & ego intravi non quasi elector, nec enim adhuc sacris eram initiatus, sed quasi Ceremoniarum clericus, ac facta

electione rogatus fui, instrumentumque confeci. Ibi ergo nihil nisi honestum vidi. Octo diebus in conclave fuimus, valde mane Divinum Officium solemniter celebrabatur, distinctique per cellulas Sacerdotes, quae sorte fuerant distributae, a media nocte usque ad mane orabant; post missas quas omnes celebrabant, ad electionem procedebant, ubi ego non intereram. Facto scrutinio prandium erat paratum, quod per foramen quoddam apportabatur; exinde dulces suavesque admodum disputationes utilesque habebantur, ut inter viros doctos consuevit; totaque dies honestis sermonibus aut lectionibus agitabatur. Ubi electus est Amedeus in Papam vocatusque est Felix, nihil ego vidi quod non liceret. Quidam tamen affectasse eum Papatum magnopere contendebant, Patresque fuisse pecunia corruptos, quod numquam ego scire quivi. Indicium tamen affectati Papatus fuit, quod idem Amedeus cum antea Concilio adversaretur, ad ipsam Eugenii depositionem Praelatos suos transmisit, nec enim dominorum Episcoporum ullus adfuisset, nisi Sabaudenses advenissent, tum & in electione major pars suorum subditorum fuit. Itali namque & Gallici fere omnes aut sui erant subditi, aut beneficiis sibi obligati. Ipse quoque antequam eligeretur, scripsit aliquibus Principibus se in Papam eligi posse, petiitque consilium, an acceptaret Papatum ad se venientem; inter quos Philippus Dux Mediolani sibi plurimum consuluit, obedientiamque in eventu obtulit; quamvis postea minime servavit, cum pecuniam, quam petebat, non obtineret. Postquam igitur electus est Amedeus, missi sunt ad eum omnes Oratores, cum quibus & ego profectus sum. Sed cum essemus in via, significavit Amedeus, se nolle Papatum acceptare, nisi & provisio fieret, per quam posset se in Papatu sustinere. Nam etsi vellet cum justitia suae servire Ecclesiae, filiorum tamen ejus bona nolebat dissipare, quae res admodum turbavit mentes Legatorum: Profecti tamen post multas deliberationes factas, nam ante conclusum erat, quid agendum; Felix Papatum acceptavit apud Ripalliam, moxque postea

To-

Tononium venit, ubi & barbam deposuit, & officiales elegit, meque tunc in secretarium accepit, quamvis Gallicis non sint multum accepti Italici. Post aliquos dies Cardinales creavit, primum Ludovicum de Varambone, secundum Bartholomaeum Novariensem, tertium Camillum de Hispania, quartum Valvanum Trajectensem, ex quibus nemo acceptavit, nisi Ludovicus de Varambone. Novariensis quoque, cujus promotionis ego author fui, clam acceptavit, sed postea in Romana curia resignavit apud Eugenium. Tum quoque resignato Ducatu Ludovicum Primogenitum in Ducem Sabaudiae creavit, & Philippum secundogenitum Comitem Gebennensem. Exin Lausanam venit, ubi aliquibus mensibus moratus, multisque Concilii precibus rogitatus tandem cum magno apparatu, sequente Comite Gebennensi Basileam venit, ibique adveniente ejus filio Duce cum insigni nobilique comitatu coronatus est, concurrentibus undique populis; nec multo post obtenta licentia creandi Cardinales ultra numerum decreti Concilii, & praeter qualitates decreti, ex Francia creavit plures, qui non acceptaverunt: qui acceptarunt Gebennensis Episcopus, Archiepiscopus Tarantasiensis, nam hi subditi ejus erant. Ex Alamania solus Johannes Gravembergensis acceptavit. Ex Italia solus creatus est Panormitanus, qui & acceptavit. Ex Hispania qui creati sunt, omnes acceptarunt. Georgius Vicen. Octo Dertusen. & Jo. de Sagotia. Cumque diu Basileae fuisset, nullus ad ejus obedientiam Princeps venit, nisi Albertus Dux Bavariae per Johannem Gravemb inductus, quae res illum Cardinalem fecit. Post cum Fridericus esset in Francfordia, magnam legationem ad eum misit, nec profecit; rursus quoque cum eo in Basilea loquutus, cum parum spei haberet in obedientia, rursus in Sabaudiam rediit, ac promissa celeri reversione adhuc non venit. Frater illi ultimus est, quem numquam vidi, Comes Armeniaci, qui & ipse numquam fratri obedire voluit. Filiam suam Ludovico Palatino, ut diximus, quamvis tradiderit, nihil tamen obedientiae lucratus est. Cum Rege Aragonum magnos

tra-

tractatus habuit, qui Romam capere promittebat, ipsumque Felicem illuc salvum deducere, sed numquam permissum est a Gallicis cum Rege Aragonum concordare, qui inimicus esset Regis Renati, quamvis Rex Renatus ipsi Felici adversaretur. Cum Duce Mediolani, & Nicolao Picenino tractatus habiti sunt; ad extremum obtulit Felix Nicolao Picenino CL. millia ducatorum, ut ipse serviret sibi cum equitibus IX. millibus, & III. millibus peditum; resque proxima conclusioni fuit, promittebatque Piceninus ipsum Eugenium in Florentia capere quamvis ad id non se obligaret; quod satis erat verisimile, si vexilla Felicis cum tali potentia in Italia fuissent erecta, nam Felicis magnum erat nomen tum potentiae, tum sapientiae. Eugenius autem odio habebatur, ut fit, nam homines in patria odio sunt, in longinquis amori. Sed cum ad haec opus esset mitti Legatos Mediolanum, Johannes de Gralea Camerarius, qui ad Piceninum venit LX. solum millia Renensium Florenorum se dare promisit, quae res adeo Piceninum irritavit, ut statim postea cum Eugenio concordaverit, ejusque Capitaneus effectus fuerit. Similiter & Rex Aragonum, ubi se trahi per verba perpendit, Eugenio se reconciliavit, Cathelanosque suos ex Concilio revocavit, qui omnes fuerunt obedientes, praeter Vicen. quem postea privatum Ecclesia nimiae constantiae poenituit. Sic Felix hodie cum solis Sabaudiensibus, Svicensibus, & aliquibus Bavaris Papatum tenet. Mira Dei ultio, nam cum is aliqua tamquam in specula aliorum Principum intueretur calamitates, nullique auxilium quamvis rogatus ferret, in eum statum devenit, ut jam omnium Principum auxilio indigeat, & nemo sibi succurrat. Accusatus est autem nimiae tenacitatis. Vir tamen magnae prudentiae est: Is mirum in senio suo linguam sic flexit, ut latine ornate loqueretur, qui dum juvenis fuit, patrio solum sermone utebatur.

Nota tempus quo haec scripta sunt. Conferenda cum iis quae scripsit in Hist. v. ex Edit.

De

De Petro de Luna.

XXIII. PEtrus de Luna post mortem Clementis apud Avinionem in scismate [nam Gregorius apud Italiam colebatur] Summi Pontificatus Cathedram arripuit, Benedictusque vocatus est. Vir magno ingenio praeditus multarumque litterarum petitiam habens. Castae vitae bonorumque morum, sed durae atque adamantinae cervicis, nec cujusquam nisi suum voluit sequi consilium. In ejus obedientia fuerunt Galliae, atque Hispaniae dempta Portugallia, quae Romanum Papam sequebatur, ob quam rem ferunt eum saepe dixisse: Nihil est quod me magis decipiat quam ultima pars litterarum aemuli mei, dum inquit: Datum Romae apud Sanctum Petrum. Nam hoc est quod me irritat, inquit, & quod Christifideles attrahit. Is cum Gregorio in tractatu fuit, ut ambo pro pace Ecclesiae cederent, locusque cessionis Saona fuit. Itaque venit ipse Albengam, Gregorius vero Januam, sed numquam concordari potuerunt ut Saonam simul venirent, ob quam rem Cardinales ab utrisque recesserunt, Pisanumque convocavere Concilium, ubi ambobus depositis Alexander assumptus est. Hic ergo per Veneris portum in Cathaloniam navigavit; jamque Gallis ab eo rebellantibus Pisanumque Concilium sequentibus solae Hispaniae cum eo remanserunt, ex quibus Concilium apud Perpinianum congregavit, consuluitque quid esset agendum. Tunc Concilium elegit XVI. viros doctores, qui simul convenientes retulerunt Benedicto, videri omnibus nihil esse sanibrius, quam pro pace Ecclesiae ipsum resignare Papatum. Tum ille, estis ne omnes hujus sententiae? & cum illi omnes uno excepto respondissent: replicavit, plus unus scit, quam vos omnes, multisque rationibus coepit illius opinionem tueri, nec de cessione voluit amplius verbum audire. Ad ultimum cum Constantiense Concilium congregatum esset, nec vellet hic ei aliquatenus consentire, Sigismundus Caesar ad

eum venit, multisque verbis cessionem nisus est persuadere; sed cum apud eum adamante duriorem nihil proficeret, cum Regibus Hispaniae rem peregit, suasitque detrahi sibi obedientiam, adhaerereque Concilio: ac sic ille cum solis Aragonensibus mansit, fuitque deinde privatus in Constantia ac tamquam haereticus condemnatus. Postremo etiam Aragonensibus amissis, in insulam Puteouleam cum thesauro suo se reduxit, ubi tamquam Papa mori voluit, successore sibi ordinato, qui postea cedens apud Majoricam in Archiepiscopum ordinatus est. Elegit hic in Cardinalem Alphonsum, qui postea per Martinum electus est dictusque Sancti Eustachii. Magna hujus Petri industria fuit, diligenterque semper, quid agerent adversarii sciscitabatur. Tenuit saepe in Roma doctissimos viros, qui sub forma pauperum Cardinalibus servientes quidquid ageretur in urbe sibi significabant. Sed nihil prodest industria nisi fortuna comite.

De Alphonso S. Eustachii Cardinale.

XXIV. ALphonsus Sancti Eustachii Cardinalis nobili apud Hispanos loco natus ex familia Carillas, ut diximus, per Petrum primo, ac post per Martinum insignia suscepit. Vixit Romae cum magno statu, Bononiam aliquando rigide gubernavit. Congregato Basileensi Concilio adversus Eugenium illic venit, dimissa legatione quam apud Avenionem habuerat, multaque contra Papam molitus est. Cumque jam IX. Cardinales, & quidem potiores essent in Basilea, placuit eis disputare de Pontificatu Eugenii. Erant namque plerique, qui eum minus canonice electum asserebant. Cumque disputatio vehemens esset, Branda Cardinalis Placentinus vulpino ingenio sciscitaturus mentes Cardinalium de successore, voluisset enim Julianum surrogari, timebatque Nicolaum Sanctae Crucis. Quid, inquit, super electione Eugenii disputamus, aut male electus est, & successorem inquirere oportet? aut bene electus, & propter malam vitam deponendus est, & idem fa-

facere convenit, quia insimul conveniamus de successore, priusquam illum deponamus, ne postea simus in electione discordes, & fiat error novissimus pejor priore. Ad haec Alphonsus, nil opus est, inquit, successorem quaerere, quem jam habemus. Nicolaus est verus Papa. Hunc sic dicentem, plures secuti sunt. Verum Placentinus mox cum Julianum exclusum audivit, impedivit amplius electionem discuti, voluitque procedi per crimina, rursusque alii indignati ad favorem Eugenii versi, conatus Juliani impedivere. Sic per inimicos defensus est Eugenius. Alphonsus paulo post adveniente Caesare Sigismundo diem obiit, dum fumum carbonum nescivit evitare, & apud Carthusiam sepultus est.

De Karolo VII. Franciae Rege.

XXV. KArolus VII. Rex Franciae, mortuo patre, admodum puer remansit. Itaque nonnulli eum minime Regis filium, sed suppositum arbitrabantur. Tum quoque lis inter Burgundos, & Armeniacos orta est, commissumque est grave bellum: Parisius Rex, per Armenicos, & Aurelianenses asportatus est. Borgundi occisa ingenti civium, ac nobilium multitudine civitatem obtinuerunt: post cum proditionis Johannes Dux Borgundiae accusaretur, magnumque bellum inter Armeniacos esset & Borgundos, fuerunt qui suaderent rem posse componi, si Dux Borgundiae ad colloquium Regis veniret. Tractata res est; venitque Johannes Dux cum salvo conductu sub publica fide cum litteris regiis securitatis, cumque in conspectu ejus esset, ac ex more genuflecteret Domino suo, per praeposterum Parisien. securi percussus est, neciq; datus. Praepositus sive jussus, sive injussus autem in prima quaedam Castella in provincia recepit. Ea res majus incendium excitavit, namque Borgundi ob vindictam Domini Anglicis adhaeserunt, Regemque Henricum quintum ex Anglia vocantes Galliam universam flammae, ferroque subjecerunt. Rex autem Henricus magno bello Gallicos vicit, de quo suo loco dicemus: post Parisius Aurelianum, ac quampluri-

mas civitates armis obtinuit. Sed, mortuo Henrico, puella quaedam in partibus Lotharingiae surrexit, veniensque ad Regem Karolum, qui adhuc Delphinus appellabatur, praedicans futura, multaque signa faciens tandem Dux exercitus creata est, apparuitque in armis virago, & nunc Borgundos, nunc Anglicos magnis stragibus confecit. Nam quocunque iret, victoria sequebatur, eratque terrori omnibus hostibus. Hujus auxilio Karolus plures civitates obtinuit, magnasque provincias recuperavit, venitque usque ad Sanctum Dionisium prope Parisius, unde oleum recepit, quo Reges Franciae inunguntur, quod de Coelo per Angelum delirant portatum, ac eo inunctus Karolus, coronatus est, multasque de hostibus victorias reportavit. Sed puella postmodum insidiis capta per Anglicos cum superstitiosa reperiretur, apud Rothomagum combusta est, & cum alia vidisset futura hoc unum praevidere nequivit. Karolus autem post Ducem Borgundiae Philippum filium ejus, qui occisus fuerat, reconciliavit sibi; nam apud Atrebatum pax facta est per Nicolaum Cardinalem Sanctae Crucis, cum quo tunc ego fui Secretarius, gerens officium. Tunc & Parisius recuperavit, pluresque alias Urbes destitutis Anglicis Borgundorum auxilio. Duce autem Borgundiae, quae de Regno Franciae tenebat, confirmata sunt. Post haec Ludovicus Delphinus ejus filius, auctore Duce Borbonii, ab eo defecit, coepitque velle, pervivente patre regnare, fuitque in campis Dominatumque quaerebat. Sed Karolus, collecto exercitu filium compescuit, auctoremque Dominii parte mulctatum extra Curiam degere, dum viveret, mandavit. Hoc autem ideo evenerat, quod cum antea regimen Franciae in manu esset Ducis Borbonii, postea reverso ex captivitate Aurelianen., qui sapientissimus dicebatur, timens regimen perdere, filium a patre separavit. Sed male sibi successit. Hic Rex admodum religiosus dicitur, Delphino filio suo filiam Jacobi Regis Scotorum absque dote copulavit. Nam Scoti semper fuerant.... partem. Hic & Nepoti Papae Felicis filiam in matrimonium dedit, accepitque auri centum millia.

Aliam

Aliam filiam Sigismundo Duci Austriae spopondit; sed adhuc non est matrimonium consummatum. Per Felicem rogatus quamvis consanguineus sit, numquam sibi adhaerere voluit. Cum Rege Renato venit in Lotharingiam, iuvasitque terras Imperii, subjecitque sibi Tullum, ac Verdunum, & Spinale, voluitque meten sibi subiicere, sed minime valuit. Cum Anglicis tradita filia Regis Renati in matrimonium Regi Angliae sub spe pacis perpetuae inducias fecit, quae jam finitae dicuntur nulla pace secuta.

De Alphonso Rege Aragon.

XXVI. ALphonsus Rex Aragonum patri Martino successit: multa tamen perpessus est, priusquam Regni gubernacula ex integro susciperet; nam Castellani ei infensi fuerunt, cum pluribus bellis feliciter gestis tandem Regno potitus est. Is Petrum de Luna postquam Summo Pontificio dejectus est a Concilio Constantiensi, per plures annos tamquam Pontificem Maximum coluit: ob quam rem terremotus, qui ejus in Regno validissimi fuerunt, nonnullasque urbes funditus diruerunt, in ultionem ex Dei ordinatione crediti sunt contigisse; nec enim verum Pontificem Martinum venerabatur. Hic ergo post haec Martino Papae conciliatus est. Vir magni animi, quo suo tempore nemo saeviorem fortunam expertus est, quam tamen ipse mira constantia ad favorem sui committit, pluribus expeditionibus infeliciter usus est. Ante Bonifacium, quod est Corsicae Oppidum, portumque habet insignem atque famosum, cum tota fere Insula sibi obediret; hoc autem Januensium imperia susciperet, dum obsidionem habuit, portumque validissimis catenis clausit, ne Januensium naves in auxilium venire possent, introirentque portum: Januenses armata classi inter alias naves unam ingentem habuerunt, quam ferrata prora in portum direxerunt, expectatoque vento felici, & in puppim feriente, extensis velis, tanto impetu in portum lapsi sunt, ut catenas omnes, ingentiaque ferramenta

disrumpentes, portum intrarint, suis auxilium dederint, hostes profligaverint, ac majorem Insulae partem in potestatem redigerent. Is quoque, mortuo Ladislao Rege Apuliae, cum soror Johanna Regnum teneret, invitatus a quibusdam Regni Baronibus ex Sicilia in Italiam transivit; nam & jus propter Siciliam habere se putabat, intantumque regnum vexavit, ut pro pace Regni coacta fuerit eum Regina in filium adoptare. Tum ergo & Neapolim intravit, & arcem in potestatem recepit, sed cum Cathelani illic immanitate quadam uterentur, ac praeter morem patriae dominari vellent, maritasque suis viris eriperent, ac stupris, & adulteriis civitatem complerent, civitatis odium Neapolitanae contraxit. Itaque clam tractatum est, Januenses cum classe transmitti, quos Philippus Mediolanensium Dux armare fecit, missoque Guidone Torello Comite viro magnifico, & rei militaris experto, bellum in Neapoli coeptum est, ac terra, marique pugnatum, coactusque est Alphonsus turpiter fugere, tumque Regno toto spoliatus. Is demum apud Barchionum classem novam armare volens, cives hortatus est in eam rem auxilia ferre, quae tenebantur; illi paratos se dicebant quod Majestas Regia juberet adimplere, scire tamen se velle, quo eumdum esset cum classe, aut quid gerendum. Tum Rex nemini, inquit, dicto quid sim facturus, nec fratri quidem. Tum: illi at nostri est privilegii scire: quod si toti Senatui non vis aperire id saltem uni ex nobis, cui volueris dicto, qui secretum teneat, ne contra privilegia nostra facere videamur. Placet, inquit Rex, accersitoque uno huic ait, dicam. Cives satis facis ajunt. Ille vocato ad partem viro, quem amare videbatur, dicam, inquit tibi, si vis, quid sim facturus; sed ne postea cuique pandas caput tibi a cervice recidi jubebo. Tum ille: non sum tam avidus secreti tui, ut mortem propterea malim; dicito hoc alteri cum hac conditione. Tum Rex aut audias hoc pacto necessarium est, aut cum nihil sciveris, scire tamen te referas, nisi mortem vis. Ille parere obtulit se, ac dimissus est classisque ingens armata, quam Rex in Afri-

Africam duxit, sperans ignominiam Italicae fugae libica victoria abolere; cumque imparatos barbaros adorsus esset, magnas clades intulit Regi Tunis, ingentemque fidem recepit. Sed Afri, ut sunt versipelles, fingunt se timere admodum, velleque Regi parere, tractantque de conditionibus pacis. Interim vero exercitum colligunt, Alphonsumque imparatum adoriuntur, sicut eos ipse prius invaserat. Tum & praedam amisit, & ultro magnam cladem ipse suscepit, multisque militibus amissis vix ipse evasit; sic enim fortuna hominem infestavit. Sed non propterea animo prostratus rursus tentare. Itaque statuit Regemque Renatum jam in Regno susceptum bello aggreditur, multisque eum cladibus afficit. Deficiunt Principes a Renato Alphonsumque sequuntur, Civitates verò cum Renato perseverant, fidemque inconcussam tenent: dum Alphonsus ingenti classe adducta fratres suos cum viribus Regni Aragonum, & Principes Siciliae, atque Apuliae, & Calabriae cum omni gente Cajetam obsidere statuit, ut portum aliquem securum, tutumque haberet. Cajetani autem magnis viribus resistunt, sed ad extremum cum terra, marique premerentur auxilium Philippi Ducis Mediolani exposcunt. Tum Philippus classem Januensium armatam cum Blasio de Azareto transmisit, qui ubi ad praelium venit classe majori, paucioribusque militibus Alphonsum Regem Aragonum, Regemque Navar. & Infantem Petrum cum Duce Suessae Principe Taranti, ac infinita Baronum tam Aragonensium, quam Siculorum, & Calabrorum tamquam pisces in lagenam missos, unico congr ssu captivarunt; qui Mediolanum missi, insperatam gratiam invenerunt, nam Dux ille compassus tantae nobilitatis capturae omnes absque pretio, ac ultro donavit, & pecuniis juvit; ob quam rem iterum Alphonsus in Regnum Apuliae reversus est, multisque praeliis fatigatum, victumque Renatum ex Regno fugavit, sed postea cum Eugenio bellum habuit, qui Johannem de Vitellescis Patriarcham Alexandrinum cum exercitu adversus eum misit, cum quo Alphonsus diu varia victoria bellum gessit, nec multum abfuit, quin

quin per insidias ab ipso Patriarcha caperetur, qui ruptis inducus eum ex insperato aggressus est, atque magnum ei damnum intulit. Denique quoque & Tarentinus Cardinalis in Regnum cum exercitu profectus est, civitatibus auxilium ferens, quae Alphonsum non recipiebant. Sed Alphonsus, ubi se potentiorem in Regno perspexit, animum in Neapolim intendit, ut hanc urbem Regni caput invaderet. Castra igitur propius admovit, exhinc per Cloacam urbis quidam intrantes domum mulieris cujusdam intrarunt, quae mox capta est, & observata ne quid diceret. Ii postea noctu portam urbis invadunt, datoque signo, exercitum Regis accerserunt, fit clamor in Civitate coeptusque tumultus, sed improvisi cives ab praevisis Regis militibus facile vincuntur, ac sic Urbs capitur. Sed nec incendia ulla, nec magnae praedae fiunt. Rex autem tunc noluit intrare, sed vocatis ad se omnibus Regni Baronibus, ac Nobilibus, diem dixit, qua intrare urbem vellet. Tum omnes Neapolitani studio, quo possent quisque moveri, student Regem honorifice suscipere. Ipse autem ab urbe milliario praemittit armatos, qui custodiam habeant. Tum omnes Principes, ac Barones ire pedibus jubet, longumque ordinem ante se binos ducere. Ipse autem parvum equum ascendens, filium penes se ducit, ut urbem ingressus est, currus ei aureus in modum triumphantis adducitur. Ipse ascendit, & in alta sella residet, ubi pueri vestiti in modum mulierum sunt, virtutesque repraesentant, canuntque enim, dicuntque: His potes Alphonse imperium obtinere; ac sic per urbem triumphans ductus. Sed & Januenses adeo compescuit, ut ad se ultro venientes, Dominum eum vocarent, ac sibi in annos singulos pelvim auream in signum ditionis exhiberent. Hinc ortae simultates sunt cum Duce Mediolani; nam cum Dux propter libertatem Regi donatam Januam amisisset, non videbatur honestam illam urbem per Alphonsum recipi. Hinc ligae factae sunt, &c. Alphonsus postea cum Felice multa tentavit, ac cum Basiliensi Concilio. Sed cum nihil obtineret, Eugenio reconciliatus est. Sed cum Praelatos

Do-

Dominorum suorum apud Basileam haberet, eos revocavit, jussitque omnes ad obedientiam Eugenii pervenire: cavit tamen, ut quaecumque imperata in Basiliensi Concilio & judicata, & post Eugenii dissolutionem rata manerent, ne sui praelati, & subditi frustra mandatis ejus obedivissent, sed Cardinalatum nulli favit. Ipsi autem Eugenio adversus Comitem Franciscum auxilia promisit, quae & post praebuit, multumque terrarum, quod Ecclesia perdiderat, recuperavit, tradiditque Romano Pontifici. Postea cum Eugenio quoque dissentire coepit. Nam cum promissa coronatio, & infeudatio Regni sibi esset, plura quoque volebat, quae non videbantur Eugenio concedenda, jussitque mox ne quid victuariorum Romam deferretur, quod sic Papam ad suum nutum conduceret; nam cara erant omnia Romae, sed ea lex plus sibi quam Papae nocuit, cum subditi ejus, quod vendituri fuissent reservando, amiserint. Unde & post concordia facta est, innovataque pacis capitula Is filiam suam illegitimam Marchioni Ferrariae Itanello copulavit. Vir brevi corpore, animi immensurati, periculorum contemptor, luxuriae deditus, fide varius, pecuniae largus distributor, magnanimis viris affectus, numquam quiescens, doli structor.

De Henrico V. Rege Angliae.

XXVII. HEnricus Quintus Rex Angliae magni vir animi. In Galliis plurima bella gessit, Rothomagum vi expugnavit, Parisios obtinuit, magnamque partem Regni Franciae in potestatem habuit, coronamque suscepit, Regemque se Franciae, & Angliae dixit, Ducem Franciae recepit, qui etiam sibi juravit. Hunc tamen Gallici coacto ingenti exercitu, ac tota nobilitate in unum collecta ex improviso eum aggressi sunt. In cujus castris vix x. millia militum fuere Gallici autem virum quadragiota millia pugnatorum habuere. Itaque adeo viribus suis fidebant, ut non quomodo pugnarent, sed quo pacto hostem detinerent, ne fugeret, cogitarent. Clauserant igitur sibi omnem viam fu-

fugae, quod tamen veteres prohibent, ne desperatio in virtutem commutaretur. Ubi vero Henricus clausus est, imparemque tot hostibus se agnovit, pacem a Gallis petiit, quae sunt in Francia dimissurum se omnia pollicetur, solumque se cum exercitu incolumi dimitti postulat. Praedam, reddere captivos dimittere, soloque se Angliae Regno contentari promittit, nec deinceps unquam Galliam infestare. Sed Francigenarum superbia spretis conditionibus illis, quibus & Regnum integrum habere poterant, & pacem perpetuam, negant se pacem daturos nisi ultro Rex Henricus se suumque exercitum dedat, potestasque sit in manu Francigenarum salvumne Regem velint, an interemptum. Quo responso irritatus Henricus Commilitones vocat, oblationemque suam, & hostium responsionem exponit, post adjicit: Jam milites, fratresque mei victores sumus, nobisque cum honesta obtulerimus, repulsique simus, nihil verendum est divinam pietatem, in cujus manu est victoria, nobis adesse. Quod si praelium antea coepissemus, timuissem ne Deus iratus ex re aliqua nobis infestus fuisset, forsitan enim minus justè Gallicos violavimus agros. Sed nunc cum restituere omnia voluerimus, solamque vitam vobis, mihique reservare, utique nihil velint nisi vos mortuos, quis non arbitretur? Hanc insolentiam displicere numinibus? Satis ergo boni animi, vosque crastina luce ad bellum parate, nec terreamini multitudine, quia potens est Deus etiam multos dare in manus paucorum; nullum robur militum tanti faciendum, quanti justam habere causam. Memineritis praeterea vos non voluntate, vel necessitate pugnare; non modo pro gloria, non pro Regno, sed pro salute, vitaque vestra certandum est: nulla via est nobis ad vitam, nisi quam fecerit ferrum; aut vincendum est, aut moriendum, at quam gloriosius est in bello tamquam milites, quam in domo spiculatoris gladio cadere? Equidem in acie potius cadere volo, quam in urbe, aut in carcere: nec me quisquam impune occidet. Hic hic cadendum est ubi gladius noster ulcisci nos potest. Ponite ante oculos, cum quibus pugnaturi estis. Cogitate vincula, &

& carceres, ex his nemo vos liberabit, nisi gladius vester. Caveant quisque vestrum ne prius moriantur, quam ulti fuerint mortem; nec vobis dubium sit omnibus, qui ex nobis cras morietur in acie, coelum esse apertum, quia pro justa pugnamus causa coacti. Confitemini alterutrum peccata vestra, ut si mori nos contingat, mundi simus. Ac sic omnes invicem confessi sunt, terramque loco Sacramenti comederunt. Gallici vero per noctem luxui dediti aleam exercebant, tuncque inter se captivos distribuebant, atque in ludo ponebant, cujus isti, illique forent captivi. Sed aliter homines cogitant, aliter disponit Deus. Redeunte die Rex suis multa oratione firmatis, ut non ad victoriam, sed ad vindictam secuturae mortis proficiscerentur, copiam pugnandi facit. Galli inter se contendentes quinam primi bellum ineant, in prima tandem acie Duces, Comitesque collocant; coepto praelio cum ipsi pro gloria, illi pro salute pugnarent, facta est miserrima caedes, moxque in fuga vertuntur Galli, instant Anglici, hos trucidant, ac capiuntur. In hoc bello Antonius Dux Barbantiae, dum suos cedere videt, noluit vitam praeferre pudori, sed inter consertissimos delapsus hostes occisus est. Ad extremum victoria Anglorum est, cum usque ad noctem nunc pugnando, nunc insequendo, capiendoque hostes, strages protracta est. Reversus in castra Rex comperit captivos in duplo esse plures, quam victores, timensque ne per noctem insidiae fierent, reservatis quibusdam praestantioribus, inter quos Dux Aurelianensis fuit, captivos omnes occidi jussit, pluresque tunc interiere, quam in bello ceciderant. Hinc origo victoriarum Henrici fuit, hinc nomen ejus crevit, hinc territi Gallici comparere numquam ausi sunt, ubi ejus vexilla viderunt. At is postea morbo contracto vitam finit, qui si aliquandiu vixisset, omnium fert opinio, Regnum Franciae in ejus potestatem venisset, nec ipse hoc contentus, ut est ambitus humanus, ampliora quaesivisset. Hic apud Anglicos omnes plumas, in quibus dormiebatur, prohibuit, levosque lana dura fieri decrevit, ne corpora hominum mollescerent, hujusque mens

erat accepto Franciae Regno omnes vineas amputare, vinique usum suis subditis interdicere; nam fieri homines vino languidos, inertes, insensatosque dicebat. Quo fit, ut morti suae quamvis magnae virtutis fuerit, minus condoleam, libentius enim ipso quam vino careo, quamvis fateor, si quis eo modo bibat, ut mos est Anglicis, vinum hebetare hominis ingenium.

De Johanne.

XXIII. JOhannes Rex Castellae ac Legionis in ejus Regni exordio plurima cum Aragonensibus bella gessit. Namque cum Alphonsus, & fratres ejus ex Castella sint, jus sibi tenendi, regendique patriam arbitrabantur, donec Rex Johannes aetatem haberet. Milites autem, Baronesque Castellae in contrarium nitebantur, nec enim Regno suo dominari Aragonenses volebant. Hinc bella quamplurima fuerunt, multaeque caedes, dum Castellani modo vincunt, modo succumbunt. Ad extremum tamen Rex Johannes obtinuit virtute potissimum, & industria Alvari de Luna, qui postea apud eum primum locum tenuit; tum & Henricus Magister Sancti Jacobi de Castella depulsus est, omniaque castra amisit: multa hic cum Saracenis, qui Regnum Granatae obtinent, & undique suis provinciis aucti sunt, bella gessit, saepiusque trophaea ex hoste reduxit, nunc per se, nunc per suos duces. Exinde cum Barones Regem unum esse Alvarum, qui cuncta regeret, cui Rex crederet, qui pacem bellumque faceret, quique Rex videretur potius, quam Consiliarius, invidere coeperunt, primogenitumque ejus ab eo separant, pauci cum Rege manent. Tum sepulchrum Alvari, quod erat in Ecclesia Toletana, ingenti, & pretioso opere constructum, metalloque perfectum diruunt, pixidesque inde faciunt, unde lapides in hostes jaciant. Cogitur itaque Rex Alvarum dimittere, atque latere suo separare, qui in quamdam arcem munitissimam se conferens furori cessit, ac sic regimen Terrae in manibus Johannis Regis Navarrae fuit, ac fratris ejus Magistri Sancti Ja-

Jacobi. Rex autem Castellae solum coronam, nudumque Regis nomen habuit. Hinc rursus cum Rex novos tractatus haberet cum Alvaro, velletque rursus administrare, per Barones detentus est, juramentoque adactus ne certam provinciam exiret, custodiaeque circa eum habebantur; intra limites autem monasterii fuit, quod Johannes Cardinalis S. Petri habuit in commendam: hic Cardinalis Regem invitat secum, ut prandeat. Advenit Rex. Post prandium in hortum itur, solusque cum Rege Cardinalis interrogat an captus sit, & quae juramenta praestiterit. Affatur totum Rex. Tum ille subditorum juramentis non teneri Regem dicit: suadetque fugam, & subsidia pollicetur, afferuntque mox equites, quos Alvarus misit. Tum Rex custodiam exivit, vocatis ad se nobilibus, qui manserant in fide: ex consilio Alvari rursus in dominium venit, Alvarumque minorem fecit, unde rursus bella cum Aragonensibus orta sunt, & pluribus Regni Baronibus, qui Alvaro invidebant. Sed ultimo praelio Johannes Rex Castellae victor evadens magnam caedem in Aragonenses dedit, in quo praelio vulneratus Rex Navarrae mortuus est. Quid sequatur jam videbunt alii, & nos si Dei ex benignitate viximus. Hujus avus Rex Henricus cum ad eum Oratores Regis Martini venissent, interrogassetque quidnam suus consanguineus ageret, & an bene Regnum: & illi respondissent mirum in modum bene agere, & ab omnibus diligi regem Martinum, optimamque de ipso spem esse; nam diebus singulis tres Missas audiret. Ite, inquit, dicite consanguineo meo nihil me de ipso bene sperare, si sic facit: Reges enim non Missarum audiendarum causa creantur, sed ut injurias a subditis propulsent, Regnique pacem custodiant, nec parum fuerit unam in anno Missam audire Regem, si justitiam, ac judicium fecerit; nam propter Missarum auditionem abduci ab administratione justitiae contra officium est.

De Eberardo Rege Portugalliae.

XXIX. EBerardus Rex Portugalliae multis praeliis adversus Castellanos feliciter commissis (nam inter vicinos odia raro desunt) Regnum suum in pace firmavit. Exin classem magnam instruens, simulat se in Holandiam profecturum, quasdamque illic ulturum injurias; ac demum navibus armatis juventus congregata est, & classi imposita jussit vela dari, cumque dextrorsum eundem significarent, ad laevam praecipit navigia duci, atque in Africam proficiscitur, urbemque Saracenorum Ceutam nomine, magnam atque opulentam ex improviso aggreditur, ingressusque vi caedem magnam intulit, potiturque praeter opinionem omnium victoria ingenti. Quidam ajunt eum in Holandia classem struxisse, atque illinc adductam quasi ad aliud opus in Portugalliam, detulisse in Africam. Illud certum est eum Ceutam obtinuisse, nam & hodie quoque Portugallenses in potestate urbem habent magnoque stipendio custodiunt. Fuit hic Rex in omnibus magnificentissimus, animo vastus, & amans justitiam. Hic filium admodum parvum moriens reliquit Johannem nomine, qui hodie Rex est indolis egregiae, sed sub tutoria potestate: nam Infans Petrus patruus ejus Dux Conimbriae cum impuberem gubernat, filiamque suam illi copulavit in matrimonio quamvis admodum conjuncti sunt. Is Petrus juventutis suae tempore multam orbis partem migravit, veniensque ad Sigismundum Caesarem in Hungaria diu cum eo fuit, ac in pluribus bellis contra Turchos multa exhibuit virtutis suae experimenta: cui pro stipendio viginti millia auri pondo quotannis dabantur. Exin quoque propter egregia ejus facinora, propterque alia, quae facturum se promittebat, Marchionatus Trivisanus concessus est; sed postea cum promissa non adimpleret, rursus Sigismundus Marchionatum ipsum Venetis concessit. Sed Fridericus demum iterum Petro Infanti Marchionatum tradidit, cum Oratores ejus usque in Austriam

ftriam venissent. Hujus soror in matrimonium tradita est Philippo Duci Borgundiae mulier alti animi, magnique cordis, de qua suo loco dicemus.

De Maria Duce Burgundiae.

XXX. MAria Dux Burgundiae filia Regis Portugalliae diu domi absque viro servata est. namque cum spes fuisset Ducem Burgundiae Philippum eam petere, jamque coepta res esset, animum mulier in illum dejecit. Cumque res non sortiretur effectum, non tamen destitit amare Philippum. At fratres eam nuptui tradere cupientes multos ei maritos nominavere. Illa nullum voluit, dicens: adhuc futurum esse quod Philippus eam repeteret Sic annis duodecim in spe mansit, nec frustrata est. Nam cum Philippus aliam non invenisset sibi gratam, rursus hanc petiit, contractumque est matrimonium. Haec mox animum ad dominandum erexit, abusaque mariti indulgentia cuncta per se disponere coepit, regere urbes, exercitum inducere, provinciis imponere tributa, ac omnia ex ejus arbitrio, libidineque gubernare: quod ei facilius erat; nam vir ejus prudentiam magis, quam formam miratus, nec enim pulchra facie fuit, sed oblonga, cuncta sibi commisit. Singula igitur haec mulier cum Cancellario administrabat. Vir autem venationi, jocisque deditus parum de regimine curabat. Mulier autem Anglicis affecta, ut sunt Portugallenses virum in odio Gallicorum tenebat, quod cum diu nequisset, nam pacem haberi cum Rege Franciae placebat, jamque Dux Burgundiae cum sexaginta millibus pugnatorum contra Calexium esset, jamque Dux Clarestinae in ejus auxilium venisset urbis foemina in campo cum viro fuit, prohibensque insultum fieri, suspecta habita est, ob quam rem millia Flandrensium qui erant in campo, dicentes se frustra teneri, invito domino recesserunt; tuncque Dux Burgundiae expositum se Anglicis videns, ipse quoque recessit. Anglici autem exeuntes urbem vicina Flandriae loca vastarunt, multumque agri incenderunt, quod Ducissae imputatum est. Haec tamen

men in regimine mansit in dies viro dilectior, cui & filium peperit, quem modo in spem magnae actionis nutriunt, tamen fama allata est Holandinos Relandinosque propter gravia, quae ipsis ab Duce mulieri imponuntur onera parum obedientes esse, quos cum Philippus rebellare timeret, uxorem suam jam Dominio, & administratione qualibet, privavit, & ipse per se regere coepit. Conjugi autem promissionem fecit, ex qua vitam posset condignam ducere.

De Barbara Imperatrice.

XXXI. BArbara Imperatrix Comitis Ciliae filia fuit, uxorque secunda Sigismundi Caesaris, nam Maria mortua, ex qua Regnum Hungariae habuerat, hanc sibi conjugio copulavit, quod pluribus visum est monstri simile. Nam Regi nubere Comitem impar videtur, nec tum Ciliae Comites, ut modo sunt, potentes erant, nec illustrati. Nam sub domo Austriae censebantur. Sed Sigismundus cum tunc parum affectus esset Australi domui, Comites illos separavit ab Austria, liberosque & illustres Principes creavit; quae res postea multarum discordiarum origo fuit, & fomes. Haec autem Barbara egregii mulier corporis fuit, procera, candida, sed maculis quibusdam facie fuit laesa, multum ei studium fuit quaerendi decoris. Itaque duo pulcherrimae conjuges invicem convenerant. Sed cum Sigismundus in plures mulieres arderet, ipsa quoque amare coepit alios, infidus namque maritus infidam facit uxorem. Ex hac tamen Sigismundus Elisabet filiam suscepit, de qua suo loco dicetur. Barbara post mortem Sigismundi ad Polonos cum ingenti auro, argentoque proficisci voluit, sed intercoepta, spoliata est. Nunc quaedam Castella possidet Regni, Bohemiaeque Reginae spectant, in quibus etsi non vitam Imperatrice dignam, non tamen inopem ducit.

De

De Jacobo Scotorum Rege.

XXXVI. JAcobus Scotorum Rex cum puer admodum navigaret, in manus Anglicorum incidit, captusque Regi Angliae Henrico traditus. Nam perpetuae sunt inter Scotos, Anglicosque inimicitiae. Nam nec Scoti superare Anglicos queunt, qui multo sunt plures, nec Anglici subjicere sibi Scotiam possunt. Si enim parvum exercitum ducunt, obstantes inveniunt. Si numerosum in terra sterili munire nequeunt, fugiunt enim ad silvas, montesque, nec domus, aut supellectilia habent, quae timeant perdere, ut qui plerumque in terra dormiunt; vivuntque carnibus. Hinc praedari gaudent Scoti; timent Anglici, nec bellum adversus eos gerunt nisi pro defensione. Inter Scotiam Angliamque vasta terra deserta est, dum undique fiunt rapinae. Parvum flumen disterminat Regna, sed tumescente mari navibus domandum est. Fui ego illuc in locum, dum ad hunc Jacobum legationem haberem Concilii, atque Papae pro liberatione cujusdam spoliati quod obtinui. is Jacobus per annos undecim in captivitate tentus est, sperantibus Anglicis per medium ejus Scotiam humiliare. Quod cum non procederet, data est illi in uxorem neptis Cardinalis Angliae, qui dictus est Henricus, quem ditissimum ajunt. Nam & Regnum Angliae aliquanto tempore gubernavit, & oves habet infinitas, ex quibus lanas vendit, nec mercaturas per interpositas personas exercere veretur. Hujus ergo neptem, quam alii filiam dixerunt, in uxorem Jacobus duxit, promisitque Anglicis perpetuam pacem, ac sic in Regnum reversus est: quo cum venisset praecipuos Regni Barones feriri, atque in foro truncari, quod ipsi Regnum gubernantes, minus curiosi de sua liberatione fuissent. Non tamen tenere pacem valuit, nam cupidus rapinae, inops populus inhiansque Anglicorum divitiis pacem mox rupit, missaque sunt saepe Gallicis auxilia ex Scotia contra Anglicos. Is cum aliquot annis regnasset ab uno ex suis cubiculariis, qui occisorum Ba-

ro-

ronum proximus erat, dum nocte quadam secessum petit gladio confossus est: relictoque puero Jacobo successore interiit, cum prius filiam majorem Delphino Regis Franciae, quae nunc mortua dicitur, conjunxisset in matrimonium. Regnum post ejus mortem per Reginam & aliquot Barones, ac praesertim Comitem de Doglos gubernatur, nam Jacobus, de quo scribimus, parvo corpore pinguique, oculis claris, sed torvis, iracundus, ac vindictae cupidus.

De Ladislao Rege Poloniae.

XXXIII. Ladislaus Rex Poloniae, natione Tartarus infidelis; nam gentilis erat; propter regnum habendum, secta sua dimissa, Christianum se fecit. Quid enim Regni causa non faciunt homines? Tunc in Regno erat Wilhelmus Dux Austriae, qui Reginam filiam Caroli Regis Hungariae in uxorem habuerat, & Regnum Poloniae in dotem receperat. Sed Poloni Gentilem potius, quam Teutonicum Regem habere volentes, Wladislaum vocant, Wilhelmum expellunt, Reginamque veteris Regis conjugem novo Regi tradunt. Sed illa concubinam se non conjugem dicens, nunquam sponte cum illo conjacuit, nec ex eo prolem habuit, mortuaque est. Exinc alia sibi conjux data est, ex qua jam centennis sobolem suscepit, Catonem in hoc, & Maxenissam superans, nisi adjutorem habuerit. Bellum huic atrox cum Prutenis fuit. Horum circiter ducenta hominum millia in illo praelio fuere, veneratque in ejus auxilium Vitoldus Dux Lituaniae. Circumventi erant Poloni, dum inordinati essent. Sed Pruteni volentes uti occasione, mittunt Araldos, qui Polonos instruant de suo adventu, parentque se in bellum: animosum consilium magis, quam prudens; quis enim hostem jam diffidatum moneat: mittunt quoque signa Regi chirothecas; Vitoldo gladium. His Rex Poloniae territus, nam Missam audiebat, nescit quid respondeat. Sed Vitoldus accipio, inquit, munera Prutenorum, libens; nam & hunc gladium pariturum mihi hodie vi-

victoriam spero. Paravit igitur mox cohortes. Committitur praelium, jam Poloni in fugam versi erant, magnaque cede tenebantur. Sed Vitoldus hortatus suos praelium instaurat, redireque Polonos in praelium jubet, tantumque viriliter instat, ut fugatis Prutenis, suos victos victores fecerit. Obtruncati sunt in eo bello quadringenti milites ordinis & infracti alii, moxque tota fere Prussia, excepto Castro Beatae Mariae in potestatem Polononorum venit. Sed Ulricus eos postea expulit, de quo suo loco dicemus. Wladislaus cum Sigismundo plures lites habuit de Regno Bohemo, saepius se intromisit; sed numquam obtinuit. Mortuus est duobus filiis relictis Wladislao, & Casimiro, quorum alter Poloniam, alter Lituaniam sortitus est, rumor tamen est, eos fuisse cujusdam militis filios, non Regis.

De Friderico Duce Austriae.

XXXIV. FRidericus Dux Austriae Comitatum Tyrolensem sortitus est, ibi cum aliquando fuisset, regereturque a Terrae Baronibus, nec ullam in se potestatem haberet, affectus taedio, novare res voluit. Prius tamen, quae mens esset populi libuit percontari. Mutato igitur habitu, saepe incognitus, nunc tabernas, nunc mysticos adibat, sciscitabaturque quasi alienus, quomodo terra gubernaretur, multaque nunc de Principe interrogabat: cumque audisset laudari Principem, vituperarique Barones, laetusque favorem populi secum haberet, audere aliquid voluit. Erat nunc Capitaneus patriae, qui gentes omnes habebat nomine Henricus, qui fuit magnus duellator, & accusatores suos, qui dicebant eum voluisse patriam prodere Duci Ernesto duellando vicit, & occidit. Faciebat autem portari sibi feretrum cum candelis accensis (sed is tandem veneno absumptus dicitur, cum duellum instaret, cum fratre Episcopo Brixiensi, & bona ejus confiscata) Nobiles de

Valtrituer extra patriam ademptis castris exclusit; pomposus ibat magna subditorum stipante caterva. Interrogavit quis ille esset: dictum est; tum dux: hic mihi Dux videtur. Ego quidem nullius pretii sum. Suscepto igitur gladio, quasi ensifer esset, sequebatur magistrum Curiae; illae admirans Ducem sequi quasi famuliarem, versus in eum, eo, inquit, Fridericule, quandonam eris sapiens qui sic me sequeris. Tum ille: tunc, inquit, ero sapiens totus cum tu ex toto stultus eris, paucisque diebus post illum potestate nudavit, nec illum quisquam ex populo juvit. Ex hinc nobilem quemdam alium, qui eum ad tribunal Caesarem evocarat omnibus Castellis privavit, quamvis essent fortissima, & quaedam quatriennio expugnaverit. Cum Alexandro Tridentino Episcopo plures lites habuit, eumque terra expulit, post restituit. Is Fridericum Caesarem, & fratrem ejus Albertum; nam ex fratre nepotes erant; sub tutela diu habuit eorumque terras rexit, sed finita tutela, Regnum juvenibus restituit, ipseque in patriam se recepit. Hic cum Jo. Papa pacta iniit, quae nec Caesari, nec Constantiensi Concilio placuerunt; voluit enim illum in terris suis tute tenere: quam ob rem cum Johannes ex Constantia fugiens Scafusium venisset, nec fieri aliquid contra eum posset, Imperiale edictum contra se habuit, pluresque civitates perdidit, quae & hodie sub Imperio sunt. Ab hoc saepe Sigismundus Caesar pecunias extorsit. Is cum Caesar ex Roma reverteretur, illud proverbium fecit: Ludovice, Henrice, Friderice ad pulpitum quia magister venit. Is uxorem habuit ex domo Brunsuicensi, ex qua filium habuit, quem uxor vocari Sigismundum voluit, qui nunc dux est. Fuit homo luxuriae incontinens, matronis ac maritis se commiscuit alienis, sed ancillis magis; pecunias amavit, atque idcirco Venetis, qui aliquid dabant, numquam inimicari voluit.

De

De Erico Sectiensi.

XXXV. ERicus ex domo Sectien. ex fratre matris Sigismundi generis filius admodum juvenis Daciae, atque Novergiae Regnum adeptus est. Cumque aliquot annos rexisset, seditionem adversus se nasci sensit, volensque furori cedere, Jerosolymam ire statuit, venitque ad Sigismundum fratrem in Hungariam pluribusque diebus apud eum fuit honorifice receptus. Erat autem corpore pulcher: capillis aureis, oculis grandioribus, facie rufa, cervice larga atque nivea, vestibus utebatur privatis. Nam lineo colari quamvis aureo ligamine gulam claudebat candidam. Solus ipse e terra sine adjutorio non tactis strepis ascendebat equum, mulieresque omnes, & praesertim Imperatricem in suum spectaculum cum amoris desiderio trahebat. Cum venisset Venetias, admodum honoratus est, ivitque Jerosolymam, & redivit incolumis. Cumque in Prusciam reversus adhuc seditiones vigere adversus se in Regno sensisset, vocatis fratribus Theutonicis: ego, inquit, ex Jerosolyma nunc redeo, devotionemque meam peregi; sed major adhuc animo instat. Jam mihi nulla saeculi voluptas est, nulla mihi soboles est, uxor mortua est, quid amplius restat, nisi ut Deo serviam? Quod si vos mihi habitum, vestesque ordinis dederitis, atque me quasi unum ex fratribus communi praebenda alueritis, stat mihi mundo cedere. Daciam ego vobis, Norvegiam, Gothamque relinquo, ut sit Religionis, nec enim mihi quisquam est necessariorum, quem regno dignum aestimen. Vos bene haec regna gubernabitis, atque illorum hominum proterviam compescetis; nam mihi parum obedientes sunt. Ad hoc Pruteni dicunt se non velle tantum Principem vestire habitu, sed quandiu apud eos manere voluerit, daturos se sibi victum, & provisionem Rege dignam, nam & alii apud eos principes fuerunt; Vitoldumque Lituaniae Ducem commemorant; offeruntque sibi ad regnum compescendum auxilia. Ille

non contentus in Regnum remittitur, ubi cum luxuriose vixisset, cum justitiam negligeret, cum virgines, ac maritas violaret, desidiaeque incumberet, rursus major seditio oritur, scribuntque Principes, & Prelati, atque communitates Sigismundo Caesari Regnum dare, quamvis ex sui magnitudine Archiregnum dici possit; nam quatuor in se continet amplissima. Fateri se tamen Romano Imperio subjectos, inquiunt, petuntque uti Sigismundum Regem eis tradat auctoritate Romana; nam quem habent regem inutilem dicunt Regni pessundatorem. Sed Sigismundum magis vinculum carnis, quam Imperii decus movit: postponere namque utilitatem Imperii, quem cum justitia tueri poterat, voluit, quam fratrem relinquere, quem non poterat honeste tueri. Misit igitur Oratores in Daciam, cumque his fecit uti Principes magis timore, quam amore Erico conciliarentur; timebant autem Sigismundum, qui frater ejus erat & Imperator. Sicque vivo Sigismundo Ericus regnavit, & eo mortuo cum vetusta vigerent odia, & Erici vitia non essent minora, rursus Primates Regni ad Albertum Caesarem mittunt, novumque Regnum petunt, cujus opera Christophorus Rex Bavariae in Regem Daciae assumptus est Erico proximus sanguine; sed nec sanguis, nec ullum vinculum jura Imperii tenet. Ericus igitur ubi se omnibus videt exorsum, ac timet impetum, furori cedens, in Gothiam navigavit, ubi usque in hanc diem inglorius dies agit.

De Jacoba Duce Ollandiae.

XXXVI. JAcoba Dux Ollandiae fuit quatuor matrimoniis infelix. Digna si loqui volumus altius exordiendum est. Albertus ex domo Bavariae Ducatum Ollandiae obtinuit, cui tres filiae fuerunt, unam habuere Borgundi, alteram Australes, tertiam . . . . . Hinc jus se in Olandia Philippus habere praetendit. Fuerunt & filii duo eidem Alberto Wilelmus, & Johannes. Willelmo patrimonium cessit; Johannes in Episcopum Leodiensem assumptus est. Sed hic dum temporalia ma-

Deest etiam in Codice.

magis, quam spiritualia curaret, nec ad Sacerdotium animum intenderet, sacros abhorrebat ordines, ac sub dispensatione quadam Laicus tenebat Ecclesiam. Res erat enormis exempli, nec Clero, nec Populo placebat, ea de re pulsus civitate est, aliusque sibi per Clerum, & Populum surrogatus Episcopus. Ipse invocato fratris auxilio, & Johannis sororii sui ducis Borgundiae bellum induxit, ac non longe a Leodio praelium atrox & miserabile commissum est. Itaque novus electus occisus est, & circiter triginta millia Leodiensium cecidere. In qua re plus multitudo valuit Burgundorum, & Ollandinorum, quam justa Leodiensium causa; ac sic Johannes Episcopatum recuderavit, cui aliquando praefedit indigne. VVilhelmus vero in Ollandiam rediit, cui filia fuit Jacoba, de qua sermo est. Haec Delphinum Franciae in virum recepit, parvumque cum eo fuit, quem mors immatura abstulit. Sed ipsa mortuo Patre, Ducatumque reges, ex dispensatione Apostolica cum Duce Barbantiae, qui tunc sibi gradu attinebat, matrimonium contraxit. Neque hic felix fuit, siquidem Romanus Pontifex aliter informatus, dispensationem revocavit, quasi sub ceptivam, matrimoniumque separari mandat. Rursusque illa ducis Glocestino matrimonium suscepit, qui poenitentia ductus, cum ex militantibus mulierem quamdam forma praestantem diligeret, repudiata Jacoba, illam duxit uxorem, quae non contenta ex militari gradu Ducalem dignitatem recepisse, Regi Angliae veneficia parat, ut eo sublato, vir suus Regnum adipiscatur, ipsaque diadema recipiat. Interea Johannes Leodicensis Episcopus, qui numquam Sacerdotio inclinatus fuerat, matrimonium cum . . . Duce Ollandiae & Lucemburgensi Comite contraxit, & quod in animo dudum habuerat, patefecit, veniensque in Olandiam Jacobam neptem expulit, regimenque accepit. Sed eo mortuo cum illa Reges ac Duces experta, nihil bonae fortunae reperit, ad viliora declinavit. Franconem de Borgel militem in virum recepit, quod egre ferens Dux Burgundiae Philippus Ollandiam ingressus, Franconem ipsum captivavit, eratque animo neci hominem dare,

Deest etiam in Codice.

re, qui tantum matrimonium invitis consanguineis foeminae contraxisset. Sed miserta viri mulier, ut cum hoc saltem ultimo marito tranquillam ageret vitam, universa ejus dominia Duci Borgundiae pro viri redemtione assignavit, retenta sibi parva terra circa mare ex qua viveret, ac sic demum cum viro infortunata fuerat, dum Franco & hodie terram illam possidet.

De Alberto Duce Austriae.

XXXVII. ALbertus Dux Austriae Friderici Caesaris germanus cum fratre sub tutela Friderici Ducis senioris fuit. Quia finita, cum germanus regimen accepisset, minime cum eo convenit; rara est enim inter Dominantes concordia. Tanquam igitur profugus fratrem adhuc Ducem fugiens, ad Albertum patruum Regem Romanorum in Hungariam venit, obviusque sibi in itinere factus (nam ille ex Buda in Austriam aegrotus reverti festinabat) querelas exposuit, nec adjutus est illo paulo post mortuo fuit; igitur cum Regina Elisabeth diu contraque rebellantes Hungaros militavit. At postea fratre in Romanorum Regem electo, & ad Imperium procedente Comiti Ciliae se condixit, bellumque intulit fratri quasi patrimonium vindicaturus. Invasit quoque nonnulla Castella; sed dum ante Labacum, quod est oppidum primum Carinthiae, castra teneret, dumque urbem praemeret, ad extremum tamen dimittere obsidionem compulsus est. Itaque varia fortuna pugnatum est, nunc vincens, nunc succumbens. Post haec cum Fridericus praeter opinionem coronatus, ex Aquisgrani nuper reverteretur, ac prope Viennam esset, Albertus contra suorum consilia fratri obviam inermis processit, ac cum eo intravit Viennam, postque Novam civitatem veniens, cum fratre concordatus est, illique uti conciliato juravit, stetitque pacificus. Nec diu post cum intellexisset Petrum contra Episcopum Cancellarium suum proditionis esse rerum, illum coepit, durisque carceribus mancipavit, in quibus adhuc sordescit, quamvis ipse servatus, ossibusque

que quae fibi cum carnibus dabantur, affixis intra rimas murorum turrim altam afcenderit, ac exinde per frufta linteaminum defcendens; cum altitudo major effet, quam fperaret, cafum dederit, ac tibiam fregerit, cujus dolore clamore edito rurfus interceptus arctius cuftoditur. Stultus qui juxta voluntatem Principis noluit Monachalem habitum fufcipere, potius quam in carcere macerari. Hujus caftella fimulatis ejus litteris Dux ipfe mox ad fe recepit, quamvis fint Ecclefiae Igemburgiae. Exinde cum Caefar Norimbergam peteret; nam ibi cum Electoribus de rebus Ecclefiae confulturus erat; fecutus eum Albertus eft, & exinde miffus cum exercitu in Sveviam, & Alfaciam contra Suicen., qui Civitatem Turicen. Imperialem Domui Auftriae confederatam, & alias terras Auftriae invadebant. Quibus in locis plurima fuae virtutis experimenta dedit. Rapifvillenfibus, qui obfidione, fameque inextimabili praemebantur, auxilium tulit. Victualia ubertim intulit, obfidionem removit. Sechingen quoque oppidum obfidione cinctum liberavit, pluraque hoftibus damna intulit, & adeo fe diligi fecit, ut Albertus Marchio Brandemburgenfis, Jo. Marchio Badens Comites de Virtemberg, totaque fere nobilitas Sveviae fibi in auxilium venirent. Adhuc etiam ibi eft. Cujus ftudio Anna foror ejus Carolo Marchioni Baden maritata eft. In ejus Confilio magni fuerunt Johannes de Stich, qui poft Epifcopus factus eft; & Wilhelmus de Stain, qui etiam Regiae Majeftatis Confiliarius eft; nam in judiciis plurimum valet. Hunc fui cum minus bene ortus effet (nam ex concubina, quam poft pater duxit in uxorem molendinaria) diu fpreverunt egre ferentes, ut de fua nobili domo fe nominaret. Sed hic ftudio literarum edoctus, mundumque circuiens, Sigifmundo Regi placere coepit, intantumque tum apud Sigifmundum, tum Albertum, tum Fridericum Caefares crevit, ut ultro rogaretur fuae domus patrocinia fufcipere: factufque eft omnium primus, qui ultimus vir reputabatur, fuperavitque virtus odium, quod novitatis macula generat. Huic nobilis uxor ex Athefi fuit, qua mortua, jam fenex puellam vir-

virginem ex domo sua recepit uxorem annis natam XIII.; tuncque grave bellum instaurare coepit, cum jam fuissent arma Marti redenda. Huic etiam scripsi ego epistolam de natura, & cura equorum admodum longam, ut eam Duci Alberto exponeret. Is quoque Dux rogatum me fecit sibi ut fabellas AEsopi in prosam redigerem, nam metricas non plane intelligebat, cui parui libens.

De Alberto Ernesti filio.

XXXVIII. ALbertus Ernesti filius post obitum patris Ducatum in Bavaria suscepit. Hujus amita Regina Bohemiae fuit uxor Vinceslai quondam Romanorum Regis, qui propter desidiam Regnum amisit. Nutritus est hic Albertus in Bohemia, sermonemque, & mores gentis didicit. Vivente adhuc Patre mulierem ignobilem forma pulchram, & super omnes insignem dilexit, quam etiam ducere in uxorem cogitavit, tam perdite amavit eam. Quid enim non gaudet amor. Illa ubi se diligi a Principe, vidit, superbius nec patrem, nec matrem suam dignabatur intueri, nec enim se amplius ex illis natam credebat, dum tanti Principis conubiis uteretur: Sed Ernestus ubi filium deperire vilis mulieris amore perpendit, & ab omnium nobilium abhorrere matrimonio, misso extra patriam Alberto foeminam apud Straburgum in Danubio submergi mandavit. Dura prorsus sententia hominem occidere, ut homo vivat. Sed illam fortasse spretorum parentum crimina sic vocabant. Dolor ingens Alberto fuit; sed postea conjugem ex Domo Bransvicensium duxit, insignem forma foeminam, moribusque venustam, talem tamen ut virum blandulis alloquiis, & arte devictum muliebri regeret, ex qua sobolem procreavit. Is vir est in musicis peritus, cantuque multum oblectatur. Sed nulla major ei voluptas est, quam venatio. Lupis inimicus est. Mansiunculas in arboribus construit, atque in modum stabularum ordinat, ibi pronus

cum

eum sagittis delitescit, adescatisque lupis, ubi adesse multitudinem videt tensis arcubus bestias ferit, ac sic hieme tota dum nives sunt, horrescuntque frigora suum tempus deducit. Domi tamen justitiam administrari praecipit, nec ulli minimo subdito injuriam patitur inferri. Adhuc Alberto Romanorum Rege, qui & Bohemiam tenuit, defuncto Oratores Bohemiae cum quadringentis equitibus venerunt, eumque Regem suum petiverunt, tum propter linguae peritiam, tum propter affinitatem, tum propter domus suae nobilitatem. Sed is magna usus moderatione Regnum se inqnit acceptare nolle, in quo jus alius haberet. Nec se rursus hereticis imperare posse respondit; credo etiam Regnum exhaustum refutavit. Quod si more primo dives fuisset, forsitan aliter respondisset. Cum propter Ecclesiam Frisingensem lis inter Johannem Gravengualder, qui creatus jam erat per Felicem Cardinalis, ac frater illegittimus Ducis Ernesti credebatur, & Henricum Slilz esset, Johannem illum adeo juvit, ut non solum Gaspari Slilz Henrico fratri, sed etiam Friderico Romanorum Regi minaretur. Compaternitatisque vinculum, quod cum Gaspare habuit propter sanguinem contempsit; ad extremum verò Gaspari reconciliatus justitiam currere permisit. Hic etiam per eumdem Johannem, qui tunc Vicarius erat Frisiingensis unus & primus omnium contra protestationem Principum Alemaniae obedientiam publicè Felici praestitit, eaque res Johannem ad Cardinalatum provexit.

De Ludovico de VVirtemberg.

XXXIX. LUdovicus in domo de VVirtemberg cum fratre Henrico diu regnavit concordique more patriam gubernavit, Henrici pater saepe potuit illustrari, principesque fieri, cum Sigismundo Caesari multum serviisset, cumque ad Hispanias comitatus fuisset; sed respondit: malo comes magnus esse, quam parvus princeps. Ludovicus in juventute admodum enormis fuit, libidini ac voluptati deditus. Sed ubi uxorem duxit, mores mutavit; alterque vir effectus multa probitatis ostendit inditia. Hi fratres viros doctos, & praesertim Theologos diligunt. Alberto Duci Austriae contra Suicenses non modica auxilia praestiterunt. Domus horum antiqua est. Ex his unus fuit, qui vocatus Ratisbonam ad Caesaris curiam vestem bipartitam fecit, mediam ex ostro, mediam ex lana perfecit. Cumque Caesar eum alloqueretur, verbaque blanda daret, latus ostreum praeferebat; cum minae inferrebantur, laneam opponebat, ac sic quasi incostans videbatur, idque sibi recedenti inter suos Caesar imputabat. Sed Consiliarii rem animadverterunt, dixeruntque Caesari Comes animum sicut res est ostendit. Nam ille post discessum, quod non bene visus fuerat, plures Imperii civitates igne succendit. Fuerunt plura bella inter domum de VVirtemberg, & Civitates Sveviae, semperque adeo afflicta domus fuit, ut perditis omnibus, solum unum castrum remanserit, cum quo tamen illi demum omnia vendicarunt.

De Johanne Gistra.

XL. JOhannes Gistra nobili loco apud Moravos natus, relictis patriis opibus militiam secutus est: ac nunc in Italia, nunc in longinquioribus provinciis armorum officio se exercuit, postquam etiam ultramarina loca perlustravit. Hungariam cum tribus tantum famulis ingressus est, ubi cum modo Sigismundo Caesari, modo Alberto Romanorum Regi serviens, contra Turcos plurima suae virtutis experimenta ostendens,

dens, in clarum virum evasit, atque cum prius sub aliis juribus militaret, ipse postmodum Dux exercitus factus est. Namque cum defuncto Alberto ab Regina coniuge Ladislao ejus puero Hungari deficerent, Polonumque Regem sequerentur & hic solus ex omnibus ducibus, qui arma in Hungaria tenebant intrepido animo, menteque stabili mansit in fide, Regisque Ladislai partes tutatus est: ex quo praemium illud meruit, ut omnium exercituum eiusdem Regis Dux crearetur. Tum per Reginam Elisabeth, tum Fridericum Caesarem ipsius Regis tutorem, sibique ac suo regimini quam multae trans Danubium civitates, & ipsa Aurifodinarum caput Cremitia committerentur. Plura huic adversus rebelles Hungaros bella fuere. Sed tam ei dextra coeli conjuncta fuit, ut saepe cum quingentis sexcentisque bellatoribus sex millia octoque millia hominum fugaret. Infinitae illi insidiae structae fuerunt, quas tum viribus, tum prudentia vitavit, mira namque eum semper felicitas comitata est. Hic cum novam Austriae Civitatem petivisset suum Regem visurus Ladislaum ejusque in conspectu foret, ac tum pulchritudinem, tum gravitatem pueri contemplaretur, lacrimari coepit, & voce submissa: heu quot, inquit, labores tui causa subivi, quot adivi pericula, quas sum passus insidias! Utinam eo & aetatis venias in quo fideles, qui tibi fuerunt, possis intelligere; me quidem semper habebis. Aderat forte Johannes Regis Camerae Magister, sive exquestor, dixitque puero. Hic tui exercitus ductor est, Serenissime Rex, quam tu illi stipem tradis? Sex annorum erat puer, atque ut exquestorem audivit, nec ipse marsupium haberet, arrepta ipsius quaestoris bursula sex aereos nummos recepit, Gistraeque tradidit, quos ille filo suspensos aureo collo suo suspendit, continuoque sic defert, ajens se ideo nosse puerum, si vixerit libertatem futurum. [sic] Cum post haec Gistra in Hungariam se recepisset, fuerunt inter eum, atque Pancratium de Sancto Nicolao plures discordiae, tandemque reconciliati amicitias firmarunt, quarum idem Pancratius fide rupta, nam parvi est fidelem apud Hungaros esse, Castellum unum per in-

insidias Gistrae furatus est. Hic Pancratius ex parvo, non virtute, sed furcis, atque rapinis in virum magnum crevit, societatemque maximam cum Ursatio Michaele, quem Sigismundus Caesar ex luto sublimaverat, in coetum habuit. Sed ambo infideles heredi Sigismundi fuerunt, immemoresque beneficiorum; ob quam rem Ursatius magnum damnum, quod habuit in gaza, cum latrociniis intercederet, perdidit, multumque humiliatus est. Hi ambo in partibus Regni Poloniae fuerunt, Ladislao inimici; Pancratius oppidum Calexii ab praeside Gaspare Slitz, qui ibidem erat, pretio emit, ibique postea latrocinia fecit, ob quam rem suis quoque Polonis cepit molestus esse, vocatusque Budam captus est aque ut liberaretur, filium se dare obsidem promisit; fecitque ad se venire rusticum suo filio persimilem, quo suo loco dimisso, recessit. Inde post paucos dies compertum est suppositum fuisse rusticum, quod Pancratius non negavit, dicens, licitum sibi fuisse decepisse illos, qui eum sub salvo conductu captivaverant, rusticus autem dimissus fuit. Sed ut ad Gistram revertamur: hic ubi audivit proditionem Pancratii mox exercitum comparavit hominum circiter novem millium. Sed cum egredi vellet, nihil aeris habebat, quo suos ex hospitiis liberaret, magnaque arte a suis civibus aureos mille quingentos recuperavit, quibus habitis, admodum ilaris egressus in campos, nihil, inquit, deest armato exercitui, hi gladii nobis victum parabunt. Cumque ad eum quamplures equites nobiles cum ex Moravia, tum ex Selesia confluerunt, vocatis omnibus. Vos, inquit, spem habetis magna me vobis stipendia posse largiri, sic enim dignum esset; sed mihi nihil est nisi ferrum, & animus. Ego nunc adversus Pancratium proficiscor harum partium praedonem infidum, crudelem, avarum, qui non solum mihi, sed Alberto ejusque conjugi, & filio, ac ipsi postea Regi Poloniae fidem datam violavit. Hinc me ulcisci oportet. Si annuunt superi, quod par est, victoria potiri, causa namque potior vestra, jam ne dum stipendia, sed premia quoque ex me referetis. Quod si aliquid sinistri evenerit, sunt adhuc agri paterni in Moravia,

quos

puos distrahi mandavi, hinc vobis satisfaciam, neque quem vestrum inremuneratum abire a me sinam. Tantum forti animo estote, latronemque illum, ut deprimamus, jurate. Vos me & illum nostis. Quis non laetus in bellum eat, quod pro justitia contra infidelitatem sumitur? Sic animis militum persuasis Castellum Pancratii invadit, obsidioneque cingit, ubi adhuc castra tenet; & quamvis sibi continuo dicatur venturos Hungaros cum exercitu, ipse tamen intrepidus perseverat, nec, inquit, timeo si Hungari in decuplo majori numero sint, in me veniant, non cessabo, nec detrectabo certamen; nihil postea, quid secutum sit scio. Faveat illi Deus. Gistra mediocris homo staturae est, niger, hispidus, laetus, animo vasto, nihil pecuniarum cupidus, prodigalitati quam avaritiae proximior. Cum milites sui saepe stipem peterent, nec ipse pecuniam haberet, nam raro apud eum est, vestem exuit, militique dedit. In domo vixit splendide, ac fortasse luxuriose. Cum uxorem duxisset Episcopi Agrien., qui Regi Polono favebat, neptem, ac propterea suspitio mali oriretur; stulti sunt, inquit, qui non fidem meam secuturam uxorem, sed me ultro secuturam foeminam rentur. Non ego tanti unam facio vulvam, ut fidem perdam. Sed hanc ideo duxi, ut Episcopum Agrien. alloqui possem confidentius in measque partes trahere; nam me qui mutare retur, frustra laborat. Agriens. autem cum in bellum contra Turcas sequeretur Regem Poloniae, occisus est, ac infidelitatis poenam, quam a Christianis merebatur, ab infidelibus reportavit.

LECTORI.

CUM ex apographo foede deformato Opusculum istud acceperim, si quid minus exactum hic inveneris, veniam facilis indulgeas, rogo,

AR-

ARGUMENTUM
In sequentem Epistolam.

Antonius ex Laudomia Pii II. sorore, & Nannio Tedeschino in Senensi ditione natus, vir fuit in Neapolitana Historia insignis; missus enim ab avunculo Pontificiarum copiarum Dux suppetis ferendis Ferdinando Aragonio in expeditionem Neapolitanam, virtute sua adeò se Regi probavit, ut sibi ab eo obtinuerit nuptias cum Maria ipsius Regis filia illegitima, ex qua in dotem Amalphitanum ducatum obtinuit; nec diu post supremus Judiciorum Magister (Gran Giustiziéro *) ab eodem renunciatus est. Strenuam illi operam praebuit in eo regno sibi retinendo; atque anno* MCDLXII. *in ingenti illo praelio, quo Joannes Piccininus Andegaversium magnum columen fusus, fugatusque est, unico ad victoriam momento fuit. Ejus virtutes latè prosequitur in hac epistola Sigismundus è Comitibus Cecorenii Fulginatensis, literarum Apostolicarum scriptor. Hujus est praecipua laus ab historia nondum typis edita, cujus insignem portionem (utinam integram nactus essem!) in schedis meis descriptam servo. Meminit viri hujus, & scriptae ab eo historiae Abstemius in praefatione ad libellum de verbis communibus, eidem Sigismundo dicatum, sicut etiam aliqua de illo habet Cl. Philippus Buonamici in opusculo* de Scriptoribus Pontificiis *pag.* 216.. *Obiit anno 1547. quantum ex epitaphio, apud eundem Buonamicum, conjicere mihi visus sum. Hanc verò epistolam cum sequenti Francisci Piccolominei, Antonii fratris, S. R. E. Cardinalis primum, dein Romani Pontificis sub Pii III. nomine è MSS. Codd. Felini Sandaei acceptam, ego hic primus evulgo.*

SI-

SIGISMUNDUS FULGINAS

CARDINALI SENENSI

De obitu fratris Ducis Melfitensium.

OPtimo & RR. in Christo Patri, & D. D. F. Piccolomineo S R E S. Eustachii Card. Senen. Sigismundus ex Comitibus, Fulginas, Secretarius Apostolicus felicitatem. Cum nuper de obitu optimi & illustrissimi fratris tui Antonii Melfitensium ducis esset allatum, & ego ad te in numero clientum venissem, magis ut indicarem dolorem meum, de ea re susceptum, quam ut te, tali prudentia, & auctoritate praeditum, aut monere auderem, aut consolari possem, inveni, fateor, in te christiani pectoris esse virtutem, & eum tenorem animi qui neque adversis, neque secundis mutari soleat. Non de divina lege, ut plerique parum sapientes queri, non lamentari, non tenebras quaerere, sed lachrymas erumpentes supprimere, amicos admittere, & eos ipsos, qui te consolatum venerant, consolari. Ex tuis tamen verbis conjicere visus sum, te desiderio tanti fratris amissi, jactura filiorum, & populorum ejus, qui tanto duce & patre essent orbati, nonnihil etiam tuis incommodis commoveri, quod non solum ea te solatia defecerant, quae ex illius ingenio & pietate percipere solitus eras; sed quod magnam curarum molem in te translatam intelligebas, cum ad domesticas, & publicas occupationes filiorum & populorum ipsorum accessisset tutela. Quae ego domum rediens, cum diligentius mecum cogitare coepissem, non potui non admirari sapientiam, & humanitatem tuam Nam quod tanto percussus vulnere, quanto nullum gravius mors infligere potuisset, nil fractum, atque abjectum feceris, & medicinam, quam alla-

allatura erat temporis diuturnitas, ratione praeveneris, non solum Ethnicos philosophos fortitudinis praeceptores, qui cum de dolore contemnendo omnes libros referfissent, in suis ipsi casibus turpiter dolori succubuerunt; sed veri Dei cultores, & (ut ita loquar) familiares, qui in lege ejus, quemadmodum & tu facis, nocte ac die meditabantur, superasse videris. Jacob enim Joseph filium, quem mortuum credebat, in sacco flevisse, amicosque congregatos consolatores aversatum; et David Absalon operto capite luxisse, ac in funere Moysi & Aaron solemnes luctus exhibitos, sacrae literae tradunt. Apostolus quoque qui dixit: cupio dissolvi, & esse cum Christo, & mihi vivere Christus est, & mori lucrum, gratias agit, quod Epaphras de mortis vicinia sibi redditus sit, ne haberet tristitiam super tristitiam, non incredulitatis metu, sed desiderio charitatis. Nec tu aut immitis, aut tuorum parum amans, quippe qui alienissimos etiam, in quibus species aliqua virtutis elucet, magna charitate prosequeris. Et Antonius quidem tuus, qualiscumque fuisset, a te amandus erat; magnam enim vim, magnam necessitudinem possidet sanguis fraternus. Talis autem erat, quem sine exceptione amare, & laudare posses. Sanctissimis enim Pii avunculi tecum una institutis imbutus ita lubricum aetatis (quod difficillimum, & summa laude dignum semper est habitum) rexit, ut pudicitiae suae diligenter pepercerit, non spoliaverit alienam. Ex auctoritate, quam optimus & obsequentissimus juvenis apud avunculum summum pontificem obtinebat, solam charitatem usurparet. Numquam enim altitudo fortunae luminibus ejus, ut ajunt, effecir, sed quanto superior erat, submissius se gerebat, amicos veteres sublevare, novos asciscere, summam laudem in dandis beneficiis ponere, & quos re non poterat oratione & fronte, quae janua mentis est, obligare; virtute demque invidiam vincere, exercitui Romanae Ecclesiae deinde praepositus, etiam ipsius Pii opinionem, quam de ejus virtute conceperat, vicit. Nam cum bellica laus ab eo non admodum desideraretur, adolescentiam enim in rebus domesticis civilibusque consum-

sumpserat, non derivavit indocilem usus disciplinam, sed partim percontando a peritis, partim rebus gestis legendis, brevi bonus imperator est factus. Prudenter castris locum deligere, se & milites diligentissime continere, hostibus terrori, praesidio sociis esse, neque suae occasioni deesse, neque ullam hosti dare. Melfitensibus demum, & multis praeterea populis dux datus, id habuit semper propositum, ut ii, qui suae potestati commissi erant, quam beatissimi essent. Nil acerbum aut crudele in ejus factis e dictis; contra omnia plena clementiae, plena mansuetudinis erant. Adhibebat in audiendo facilitatem, lenitatem in decernendo, querelis omnium aures patefaciebat, nullius inopiam ac solitudinem aspernabatur, medebatur incommodis, providebat saluti, tenujores etiam in collocandis filiis pecunia sublevabat. Denique consequutus erat, ut ab omnibus parens optimus & haberetur, & diceretur. Quid de ejus pietate in Deum, reverentia in avunculum, fide in regem Ferdinandum, charitate in patriam, observantia in te, in reliquos propinquos amore loquar? Tantis tamen virtutibus praeditus cum esset, ne minimo quidem vitio aspergebatur, ut mirum non sit te ejus desiderio commoveri, quem nemo novit, qui non desideret, praesertim cum non ut mortuum, sed ut absentem desideres, nisi enim resurrecturum sperares, nisi ad meliora translatum crederes, quod vita innocentissime acta, & exitus vitae conveniens pollicetur, ni ea quae christiana veritas tradit penitus tibi insita essent, nec tanto dolori tam cito temperare, nec repugnantes in membris naturae affectus ratione sedare potuisses. At vellem (dices) vixisset diutius; fateor, poterat, & aequissimum fuerat; erat enim in aetate constanti, semperque immatura mors illorum est, qui de humano genere benemerentur. Sed qui scimus an longior mora in terris illi fuerit profutura? Placita tunc Deo erat anima ejus, qui nobis hujus vitae usuram nulla praestituta die dedit, qui multo melius novit quam homines, quid hominum saluti expediat. Paruit conditori suo Antonius noster libens, aequissimo-

Sensus turbatur

que animo, quod nonnisi sapientissimi, & multorum recte factorum sibi conscii facere possunt, excessit è vita. Habuit spatium verae poenitentiae, scuto fidei armis sacramentalibus munitus, quibus posset ignea maligni hostis tela repellere. Corruptibile hoc corpus exivit in sua sede, in conspectu fidelissimae, & praestantissimae conjugis, in charissimorum filiorum complexu, quae etsi nihil ad mortuum pertinent, pertinuere certe cum moreretur. Te praeterea, quod semper optaverat, incolumem, magnum, & virtutis gloria florentem superstitem habuit, ut felix beatusque jure optimo dici possit: magna etenim felicitas in felicitate mori. Nam ut omittam senectutis in poenam sui vivacis incommoda, multi longiore vita vivendi causas amisere, multi vel in mortis aeternae laqueos inciderunt, vel ex summa potentia, summoque dignitatis gradu in maximas aerumnas prolapsi sunt. Taceo Crassos, Pompejos, Cajos, Constantinos, Julianos, Jovinianos, Valentinianos, Gratianos, Valentes, innumerabiles alios (plena enim est hujusmodi exemplorum vetustas) qui aut a suis proditi, aut ab hostibus circumventi gravissimos exitus habuerunt. Vicinas tantum miserias, ut eas quidem recentissimas, replicabo: hoc ipso in regno Neapolitano, cum superioribus proximis annis gravissimum exarsisset bellum, ita omnes ferme regulos, ac proceres, etiam eos ipsos qui omnibus rebus a rege ornati erant, transversos fortuna egit, ut neque officio, neque beneficiorum memoria permoverentur, quominus animo & viribus in illud incumberent, & omni studio agerent, ut rex regno & vita spoliaretur. Itaque vidimus alios, re male gesta, aut praesenti morte poenas luisse, aut in tenebris duriorem morte vitam degere, aut procul a patria; filiis, conjugibus in voluntarium exilium concessisse. Ex tanto naufragio Antonii tui in omni tempore laudanda fides incolumis enatavit, non ille hostium minis, non populorum defectione, non promissis adduci potuit, ut quidquam alienum a jurisjurand religione, & perpetua sua in regem observantia ageret; sed consilio, animi magnitudine, armis conatus hostium fregit, & re-

gias

gias res summa virtute servavit. Quae jucundissima, & gratissima regi (ut par erat) fuisse vel hinc intelligi potest, quod audita tanti ducis valetudine, medicos omnes convenire jussit praestantissimos, ad eum curandum misit; morte vero nuntiata, cum gemitu & suspiriis columen verae fidei obiisse pronunciavit, statimque ad te & praestantissimam gloriam tuam propinquam suam literas dedit, dolorem susceptum declarans, filiosque Antonii tui non minus quam suos sibi caros fore testificans, in quos non multo post magna cum significatione amoris imperium, & titulos paternos, quorum aetas illorum capax esse poterat, transtulit, ut jam minus dolere debeas filiorum ipsorum vicem, presertim cum uxor ipsa, quae supra muliebrem sexum sapit, & primigenius jam maturus imperio, in quo animi & corporis paterni imago reluceat, magna ex parte hujusmodi cura levare te possint. Restat incommodorum tuorum ratio, quae te non fuga laboris (etenim animus tuus maximis in rebus gerendis, & sustinendis exercitatus, quem nec totius orbis terrarum cura lassaret, exigua accessione curarum frangi non potest) sed dispendio temporis, cujus honestissima est avaritia, movet, quod tu ita partiris, ut ne punctum quidem perire sinas, & quidquid a re divina, & re publica superest in literis ponas, tanta aviditate, atque attentione, ut somno subtrahas multum & cibo. Hinc illa tua sapiens, copiosa, & ornata, quoties in senatu sententiam dicis oratio, quae Summo Pontifici, & collegis tuis clarissimum lumen praefert, cum omnis antiquitatis memoriam complexus in conspectu atque in promptu habeas quidquid a Petro Apostolo usque ad hanc diem in christianorum Ecclesia gestum est. Sed quemadmodum fratre tuo Antonio viso faciebas (ille enim te de omnibus rebus gravioribus consulebat) ut in Caesaris, ac totius Germaniae, reliquorumque qui te patronum cooptarunt, negotiis, illas non excluderes, nunc eo majori laude pietatis id facies, quo magis pupillis debetur, & erit minus difficile quod rex, ut dixi magna ex parte hoc onere te levabit. Accidit quod Antonius noster praeter la-

tum & pacatum imperium gloriam bene actae vitae, & thesaurum amicorum, quae omni patrimonio praestantiora sunt, filiis suis reliquit. Vicem defuncti non est quod doleas, ita enim vixit, ita ab hac vita migravit, ut de ejus salute dubitari non possit. Nunc autem e carcere corporis, tanquam e vinculis emissus, revelata, ut ajunt, facie sanctissimum avunculum cum electis Dei in coelis regnantem intuetur, cui te per ejus vestigia gradientem, & de christiana republica benemerentem ex alto prospicit, tibi favet, ac juxta se locum parat. Nam si cuipiam mortali jure patuit Coelum, Pius certe tuus inter sanctos Pontifices, ac martyres locum obtinet. Si enim non tam sanguis fusus, quam voluntas martyrem facit, verè martyr habendus est Pius, qui sanctae Religioni, & reipublicae christianae se natum putans, cum toto pontificatu suo nihil aliud quam ut perniciosum bellum Turcorum profligaretur egisset, reges, principes, populos voce, literis, nuntiis excitasset, se ipsum, & domum, in tam sanctam expeditionem devovit; nec corporis imbecillitas vigorem animi retardavit, quominus ad diem dictam Anconam pergeret. AEstuabat febribus, lectulo adhaerere vix poterat, julio tamen mense Roma per maximos aestus profectus est; magnus febrium, magnus ferventis aestatis calor, major tamen fidei ardor, haec omnia facile contemnebat. Qui si par animo corpus fortitus esset, Turcorum impia natio vel dejecta, vel ad veram religionem redacta tunc fuisset. Sed in ipso conatu eum vita defecit, non prius tamen, quam Venetorum ducem, & classem ad imperium ejus armatam Anconae e specula venientem ad se, prospexit, quo exhilaratus spectaculo, opimam animam Deo reddidit. Tanti igitur pontificis avunculi ingressus vestigia, virtutis, & gloriae laude florens, & cum praesenti judicio magnus, tum reliqui temporis expectatione maximus fratri tuo ad meliora translato gratulari, & supremum vitae diem, qui nos ex hujus vitae fluctibus in portum mortis deducat, intrepidus expectare potes; nam & nobis quoque, etiamsi Archantonii illius Tharsesiorum regis, aut Mathusalem viveremus aetatem, migrandum est,

est, utinam in Domino, utinam salvis animae rebus, ut in loca quietis deducti, & ad dexteram Redemptoris locati audire mereamur dulcissimam illam vocem: Venite benedicti patris mei, possidete Regnum ab initio vobis paratum. Quod ut de tua probitate firmare ausim, ita de me ipso optare non desino. Sis felix optime Princeps. Romae VI. idus Martias 1493.

CARDINALIS SENENSIS

FELINO.

Domine Pennensis, Pater observandissime salutem. Vidi illam singularem quondam Reverendissimi Domini Papiensis consolatoriam epistolam verè dignissimam; sed cum ego utrumque, Papiensem videlicet & Cornetanum viderim noverimque, non erit ingratum vestrae Paternitati (ut existimo) si aliqua in illa, quae consulto omissa sunt, attigerim. Cornetanus quondam episcopus, patriarchae illius Alexandrini nepos, qui tanta sub Eugenio Pontifice pro Romana Ecclesia gessit, * non Angelus nomine, quamvis re, sed Bartholomaeus appellabatur. Is post mortem avunculi, cum aemuli patriarchae necessarios omnes persequernetur, ne ipse quoque in hostium manus veniret, Roma aufugit, & Senas ad veterem hospitem Ginum Belantem divertit. Inimici solito ingenio usi ab Eugenio literas ad Senenses obtinuerunt, ut Cornetanum interciperent. Episcopus tam ex urbe ab amicis, quàm a Gino familiarissimo certior factus, ad instar Pauli Apostoli per muros civitatis in sporta demissus, per multa discrimina Basileam perrexit, ubi a patribus concilium celebrantibus amice exceptus, aliquandiu moram traxit, ad quem pater meus Constantiae Vitellensis filius, cujus Cornetanus nepos erat, hominem salutatum Basileam accessit. Fuit enim Constantia Ludovici Vitellensis filia, ex cujus fratre natus est Cornetanus. Basilienses paulo post abro-

Lege epistolam III. Cardin. Papiensis Angelo, seu Bartholomaeo Vitelleico episcopo Cornetano *Ante hunc diem*, &c.

* Joannes Vitelleicus

rogato Eugenio, Amedeum Sabaudiae ducem in pontificem maximum elegerunt, a quo Bartholomaeus Cornetanus ob ejus ingentia merita cum nonnullis aliis in cardinalem fuit assumptus. Pileum rubeum, & caetera insignia accepit, quibus aliquandiu usus; tandem Amedeo a pontificatu abrogato, Felice in sua obedentia appellato, factaque unione Ecclesiae, Cornetanus cardinalatum cum coeteris deponere coactus est, cui, ut arbitror, longe durius atque acerbius fuit dignitate jam possessa spoliari, quam iterum in promotione ad tempus suspendi. Prudenter igitur Papiensis hominem consolatus est; noluit vetusta vulnera refricare, sed potius in spe nutrire, cavitque ne ullo in verbo Felicis gesta attingeret. Pontifex vero Pius, qui Bartholomaeum Cornetanum, ut affinem ratione sororis Laodomiae, matris meae, quae parenti meo nepoti Cornetani, sive consobrino nuptui tradita fuerant, singulari amicitia & amore prosequebatur, saepeque apud Fridericum Caesarem, cujus tunc AEneas consiliarius erat, quam diligentissime curavit, ut in consilium Caesaris Bartholomaeus ascisceretur. Dissoluto paulo post concilio, redeunte ad obedientiam natione Germanica, pace ecclesiae per concordata reddita, defuncto Eugenio, subrogatoque Nicolao, Cornetanus in Italiam rediit, cui Nicolaus V. de restitutione rubei pilei spem aliquando amplissimam fecit; sed ipso quoque defuncto, electoque ad pontificatum Callisto, & paulo post Pio, speravit Cornetanus sine dubio pristinam dignitatem se aliquando recuperaturum, praecipue auxilio Romanorum Cardinalium S. Marci, qui postea Paulus II. appellatus est, Latini de Ursinis, & meo ob pontificis affinitatem; & ni S. Marci, & de Ursinis propriis consiliis nimium credidissent Cornetanus, sine dubio, etiam multis invitis pristinam dignitatem recuperasset. Statuerat enim Pius pontifex secundo novos cardinales assumere. Antiqui vero magnis viribus Papae adversabantur. Videns pontifex post multos tractatus se frustra conari, quoniam S. Marci & de Ursinis cum caeteris repugnabant, & ut nullo pacto in nova creatione a patribus mos ei gereretur magno studio

dio curabant. Haec eorum opinio eos in negotio Cornetani Episcopi negligentiores fecit. Ludovicus Patavinus cardinalis, & patriarcha Aquilegiensis appellatus, vir magnae auctoritatis, qui apud Eugenium primatum tenuit, & qui cum aliis aemulis (ut ajunt) in capturam patriarchae Alexandrini Cornetani episcopi avunculi, conspiraverat, mirum in modum Cornetanum verebatur, ejusque honori totis viribus adversabatur. Is ex primis fuit, qui voto Pontificis in assumptione Cardinalium assensurum se dixit, si Pontifex Cornetanum excluderet. Restitit Pontifex huic conditioni, quandiu amicos Cornetani sententiam de nullo promovendo mutaturos speravit; postquam vero pertinaces invenit, neque ullis rationibus flectere potuit, ne honorem suum negligeret (erat enim de his rebus inter curiales rumor maximus ac varius, ut fieri solet, alii pontifici, alii collegio astipulabantur) pontifex tandem nolens ratione unius Cornetani proprium, & caeterorum candidatorum honorem deferere, patriarchae & ejus amicis aures accomodavit, praeteriturumque se Cornetanum promisit. Sancti Marci, & de Ursinis sero poenitentia ducti, quidquid pontifex juberet dixere, si Cornetanum inter assumendos connumeraret. Papa autem, qui jam patriarchae fidem dederat, Cornetani amicos longo sermone increpitos, sprevit, ostendens eorum mutationem seram nimis esse, neque rem integram tenere. Haec Pius saepe narravit, apud quem Cornetani promotionem totis viribus procurabam, efflagitabamque. Bene igitur Papiensis amicum consolatus est, facileque instabilitatem rerum humanarum adversas saepe experto ostendere potuit, & ad illius impetus ferendos hortari. Recte igitur Q. Frater ad Ciceronem de petitione consulatus scribens minimo momento in comitiis cogitationes, consiliaque mutari affirmavit. Variae enim ac inconstantes sunt hominum mentes. Habebatur & tunc pro constanti promotio protonotarii Montisferrati, & in eo dux Mediolani Franciscus usque ad comitiorum tempora perseveraverat; sed illico mutato consilio protonotarium Mantuanum, in quem pontifex plurimum inclinabatur, alte-

altero posthabito strictissime commendavit. Exposceret locus iste, ut ego quoque de aliquorum naufragio nonnulla explicarem, cum amplissima sit materia; sed ob ingenii ariditatem factum narrare omitto, ne obscuro rudique sermone (a) Brixiensis, (b) & Salernitani quondam singularium praesulum merita diminuam, qui ab aemulis miris modis oppressi, fortunae novercanti sua morte cessere, qui, si Felini fortitudine atque prudentia usi fuissent, omnem aliquando adversam fortunam superassent. Laudo igitur Reverendi Patris Felini consilium, & singulas ejus actiones; nam, ut videre videor, cito fortuna redibit amica. Quod Dominus concedere dignetur.

(a) *Sermonem hic fieri puto de Dominico de Dominicis, qui episcopales Brixienses infulas nonnisi sub Paulo II. obtinuit; sub Pio vero Urbis Vicarium egit, legationesque pro S. Sede obivit, quarum merito dignissimus erat, ut cardinalatus praemio donaretur.*

(b) *Erat hic Nicolaus Piscicellus singularibus animi dotibus vir ornatus, & ideo Ferdinando regi Siciliae acceptissimus.*

JO. DOMINICUS MANSI
LECTORI.

CUM vacaret pagella, nolui vacuam illam dimittere. Habes igitur hic alteram epistolam Felini Sandaei, qui deim Lucensem cathedram ad obitum usque tenuit, de quo Ughellius in Lucensibus. Duas in Lucensi chartaceo codice reperi; utramque igitur evulgo.

Felinus D. Joanni Petro Arrivabene Episcopo Urbinatensi.

REverende in Christo Pater, amice noster singularis, salutem. Transpadanam illam Galliam, unde vobis origo trahitur, ob singularem illius soli amoenitatem, coeli clementiam, cunctarum rerum ubertatem & magnificentiam, gratiorem vobis futuram existimabamus, quam vel Picenorum glebulenti . . . : vel Umbrorum lapidosi colles, idcirco non putabamus, ut tam cito relicto natali solo ad istas oras redires. Verum tamen cum consummati pastoris officium, & veri speculatoris munus bene consideramus, ob ea quae saepe ex periculoso ferarum crassatu, & insana luporum rabie contingere possent, postquam id oneris suscepimus, minime diu abesse licet a gregibus nostris. Prudenter itaque fecit P. V. & sanctè, patriae ecclesiam praeposuit: cara haec, cara illa; quia tamen altera magis Deum respicit, atque animam, ideo sicut Deus & anima cunctis praeponitur rebus, ita illa quoque praeponenda fuit. Faustus igitur esto & felix & fortunatus iste ad commissam vobis ecclesiam reditus vester. Jam nobis illa accedit commoditas, ut propinquiorem patrem nostrum habentibus, crebiores inter nos literae mittitari possint, & uterque nostrum certior fieri possit de omni statu alterius. Nos Deo ita largiente incolumes sumus corpore. Urbs nostra hactenus bene se habuit; verum mox paucis retro diebus pestifer morbus & execrabilis lues,

nonnullos, ultimae tamen sortis homines, mira celeritate absumpsit, quae res curialibus magnam injecit curam, in metu sunt omnes. Quid facturi simus non bene compertum habemus. Beatule (ut nostis) hactenus viximus, nunc fors ipsa pollicem vertit. Nec mirum, felicitas enim humana eodem tenore nunquam manere potest, suntque ita rerum nostrarum vicissitudines, ut nunquam stabiles sint, nunquam firmae, sed quadam veluti successione bona malis, mala bonis tenaciter haerent, ut neutrius status sit diuturna possessio. Ultra hanc pestem accedit pervigil ingruentis belli cura. Advolant enim jam undique a cunctis Italiae partibus milites paludati. Ager Romanus terra marique quatitur, a dextris nostri, sociorumque belli duces in castra properant, a sinistris non instrenuae regis copiae. Apud Hostia Tyberina Fridericus Taraconensis Ferdinandi filius cum bono triremium numero moratur. Ursini, Columnenses regi stipendia faciunt, ni fallimur, hoc modo in retia conjecti esse videmur. Si etiam vicinos irritare pergimus, actum de rebus nostris judicamus. Deus Ecclesiae suae consulat, & dextera sua apostolorum suorum cymbam fluctuantem pro sua abundanti gratia dirigere dignetur, nequepatiatur, ut mundi homines ad insanas illius sali cautes, ad crudelia saxa, ad reboantes scopulos, allidere impellereque, ut quaerunt, possint. Laetatur Urbinas noster tempestatem omnem evasisse; verum tamen si perfectam metiri velit charitatem. Fratrum suorum vices potius ingemiscat, quam ex suo ipsius incommodo laetetur, cogitabitque secum fratres suos apud Galaadithim constitutos in extremo periculo detineri. Sed veh nobis, qui in haec tempora incidimus? De his hactenus. Plura alia nuntiari possent P. V. quando ea existimaremus, vel non audivisse ab aliis, vel ex aliorum literis non didicisse. Dicemus tamen uno verbo: universa quaecumque vobis hactenus aut scripta, aut narrata sunt, vera sunt. Nos illam fatorum vim omnes incidimus, quam vos evasisse juvat. Velit Altissimus, ut ad probationem nostram sint omnia haec, pendemus nos; principes verò nostri dulcissimum pacis nomen in ore habent. Caetera bellum olent. Valete. Romae die XXVIII. Junii 1493.

JOANNI PETRO
EPISCOPO URBINATI
F. CARD. SENENS.

REverendissime in Christo pater & amice noster singularis. Et probe quidem atque ex officio fecit Paternitas vestra, quae nuper ad nos scripsit, ex cujus sane literis incredibilem nos semper capimus voluptatem; proindeque minus ea vereri debet, importunitatem se aliquam (ut illa appellat) ex hoc scribendi munere nobis apportaturam, cum semper ejus sententias, & prudentia dicta non minus libenter audiamus, quam si ex ipso Delphici Apollinis oraculo afflata essent. Talia enim sunt, ut ab omni cordato ingenio & mente sana merito amari debeant. Quod in theatris nostris novae in praesentia actitentur tragoediae, & in iis percensendis nostra multum ferveant subsellia, non est cur multum miremini; tragoedia enim (ut nostis bene) cum genus sit poematis grande & magniloquum, in quo heroes introducuntur, & duces, & reges; in qua videlicet scoena melius quam nostra repraesentari potest? Verum unum deest nobis. Roscium non habemus, Amerinum illum non dico, Urbinatem dico, cujus prudenti artificio, & callentissima pertractandae hujusce scenae nostrae experientia, & usu singulari, ardua haec, & ponderosa per legitimos actus suos, & subidoneum, & condecentem rerum talium ordinem redigantur, & regulentur, adamussimque cuncta, ut decet, conspirent. De bicipiti illo Gallorum ostento, quid mirari oportet? Desierunt jam ista in prodigiis esse. Et Cecrops ipse apud Graecos Athenarum rex bifrons dictus est. Vetera haec quidem, verum etiam & recentata tempore nostro. Igitur tricorpor, novusque ille Ge-

 ryon

ryon apud Pannones minus quoque piacularis, minusque portentosus nobis esse debet. Enimvero apud Romanos Janum sub quadrigemina etiam specie exculptum fuisse, memoriae proditum est. Mira sanè haec temporum nostrorum raraque miraculorum & stuporis exempla, videre ea quae superior & pervetusta patrum nostrorum memoria cum attonitione mentis aliquando est admirata. Sed quid si nepotes nostri & sequens posteritas majora his visuri sunt? Egregia sane annalibus & scriptorum monumentis materia, semper habere, quod magis ac magis mirerere. Caeterum, mi Arrivabone, ad haec pervincenda, ut sapienter sentis, Hercule mehercule opus esset, aut Theseo; verum (meo quidem judicio) talia sunt haec & tantam molem (ut vides) secum adducunt, ut Hercules ipse, & quivis heros fortis, aut centimanus gigas, immo & ipse quoque Athlas ille, cujus humero coelum (ut est apud poetas) torquetur, sub pondere isto, enixius etiam conando, & vehementer ingemiscendo lassaretur, propeque succumberet. Humanam itaque aut heroicam opem ista non capiunt; sed Deo quopiam secundo nobis opus est potius & numinibus magnis. Parthenopei reges se & honorem suum aequaquam negligunt, suntque ii quam maxime sensiles, itaut vel ad tantillam cauterii mutillationem vehementer commoveantur, magnopereque exiliant; quamquam tamen non sine justo dolore, querimoniam suam extollunt; quandoquidem eorum carnem & sanguinem ita ludificatum animadvertunt. Res haec multum hactenus est agitata, & eventilata, necdum etiam ab area subducta est. Navatur opera ut ad horreum convehatur, ad modium tamen adhuc non est ventum. Verum quantum fieri poterit pro virili nostra conabimur, ut mensurae non fit fraus, & in deducendis rationum calculis, expungendisque tesserarum notis neutri partium sit querela, & nulli omnino fiat injuria. Nonnullos vero istuc usque de nobis rumusculos fuisse excitatos, super quibus etiam multi majora quam oporteat comminiscantur, atque ariolentur, ultro nobis persuasum est. Sed quid quaeris? Nonne universa vani-

tas